



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

Liber Primvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**



I

# ASIATICÆ HISTORIÆ SOCIETATIS IESV.

PARS III.

LIBER PRIMVS.



SCRIPTVRVS de Imperio Sinarum, vel quondam ignoto, vel minimè credito; nunc fama celebri, sed infra meritum; stylum quoque infra verum premam, vt veris fidem certius faciam. Laus est eius Imperij eadem quæ magnarum rerum, vt laudari modestius debeant, ne suspectæ fiant affectæ commendationis, & pro sophismate Historia sit; haud secus tamen vt Geographicis leuiter adspersos nihil dimouet ab

1.  
Sinarum  
vniuersalis  
notitia.

amplitude regionum suis spatiiis iudicanda quòd eas tabulæ in vnguem coarctent, si adiuncta de more iis scala, locorum inter se distantiam indicet; vel circum adscriptis gradibus sua regioni longitudo & latitudo respondeat; sic magnitudini Sinarum nihil opinor decefferit si eam in arctum coegero, dumtaxat, ne pauci quos illi appingam excellentiæ gradus omittantur, futuraque est necessatio commodo hæc rerum summa, seu naturalium, seu politicarum. Nam foret imprimis alioqui, accitis subinde illarum particulis elucidanda Historia, & interpungendus truncis minutijs eius cursus, quæ aptæ in corpus integrum lucem melius inuicem accipient & dabunt, quàm diuulsæ: illa deinde teneritas indolis

A

Christianæ legentium animos fouebit suauius, cum gentem attenderint fuisse tam longo ætatum decursu à Deo alienam, tametsi foret Europæ numero prope par; ingenio excellens, moribus compositissima, vsu domestico, omnique vrba consuetudine, etiam vltra modum culta, & elegans. Legum vero suarum præstanti disciplina, pro annorum vt solet vetustate, haudquaquam vacillans & mobilis, sed ab sui origine semper constans, sub imperio Regum qui vel ipsi philosopharentur, vel Consiliarios haberent Philosophos. Extant hodièque illorum nomina factis publicis consignata, quibus nihil vsquam alibi gentium venerabilius ad antiquitatem; ad veritatem religiosius; ordinatiùs ad distinctionem. Iam illa genti congenita, in æquum & rectum procliuitas, animique instinctus sequax præuix rationis, cuius Magisterio leguntur præclarissima documenta, magnorum virorum tradita monumentis qui iam tum in Sinis florebant, cum suos Græcia nondum parturisset sapientes: ad scientias quod spectat, earum regnum Sineses obtinent, apud illos imperant Literati, & in illa ingentis Monarchiæ solertissima coagmætatione, caput eminet prudentiæ sedes, nec regendi arbitria pedibus creduntur. Quantum quisque scit, tantum potest, vna illic mentis nobilitas colitur, quæ pars est nostri diuinior, ingenio emuntur à supremo ad imum gradus omnes Magistratuum, & honoris, suæ quisque studendo fortunæ faber est, & examinibus tam sinceris doctrinæ fides tam certa exigitur, vt dignus repulsam non possit metuere, nec fauorem indignus sperare: ambientem aliquid nihil fallit, nisi meriti sui indocta probatio. Gratulemur itaque huic nostro æno cui datum est gentem omni ex parte tam nobilem in Christi iura transcriptam cernere, Christumque in ea iam latè dominantem; sed inuideamus posterioribus seculis quæcumque illam spectatura sunt, tam plene Deo mancipatam vt ne palmus quidem residuus superfuturus sit dæmoni totam olim integrè occupanti. Nam cur eo vsque perductum Xauerium, & cruci portas impenetrabiles parantem recludere, beatorum nuncius in cælum vocarit; nouit vnus qui mouit, & peregit Deus. Sed hoc suo discessu, voti nihilominus euasit compos, idque Deo sistens pro elementariæ tribunalis, tanquam vltimum, & hoc summè carum amoris sui partum, denique euicit, quod nunquam Sina inexorabilis annuisset. Iamque apud scriptores inualuit vt apertum in Sinas contra spem aditum Xauerio tribuant, qui ab eius beato ad Deum transitu proximè contigit; difficultates item improviso sublatas admittendi externos continenti solo; circumcuratam in illos eorum feritatem, & quod prodigio simile, suspiciones gentis mitigatas, scrupulosè sibi ab iis cauentis, exercentisque odia in illos barbara. Primi omnium pedem in Sinas iniiciunt Societatis Iesu Patres velut in hæreditatem Xauerio debitam, solique illic multos annos perstant, ferendo illa, & agendo, quibus apud cordatos maius pretium facit incipiendi asperitas, quàm felicitas, & splendor incepta promouendi; sed in Sinis maximè, si alias vsquam. Fuere si quidem more arcium

2.  
In aditu Si-  
nar. S Xau-  
erius moritur.

arciū regiatū lenta sensim impugnatione inuadendi, dissimulata patienter tenuitate profectus tam indeprehenſi, vt se prius captos sentirent quam captatos: complanata in hunc modum viam iniere mox operarij valentes ad eruderandam illam regnorum quindecim, seu Prouinciarum fyluam & multitudinem incolarum Apostolis totidem, laborum & gloriæ segetem abundè suppeditaturam. Sed priusquam de illis aggredior dicere, illatæque per eos agnitione veri Dei populis in vmbra mortis sedentibus, considerandum paucis, quoad tamen res feret, cæli vna solique ingenium, eiusque incolarum; deince rei politicæ administratio, quæ si percipiatur solum leuidensè, ferri non poterit absque turpi errore iudicium multis & grauibus in causis quæ spectant ad religionem, in quo vti & cæteris certum mihi est sequi ab iis tradita, qui (vt vna spectetur petitia) Dei gratia inter Sinas non mensibus aliquot, vel paulo plus anno, in præſidiis velut clausi egerunt; sed vltra viginti, & triginta annos, etiã quadraginta, vastitatem illam Imperij quanta quanta est peragrarunt; excoluerunt diurnis laboribus Apostolici muneris; nocturnos constanti assiduitate ita eius literis insumpserunt, vt earum Magistros haberent discipulos, sunt autem illorum penes me autographi codices quibus vtar, præter viuam vocem aliorum quos Pechinum vsque à Macao rei Sinensis vniuersæ inspectores, & testes audimus.

Sed iam subeuntem intra regni fines, de regni nomine si quis interroget; sciat nomen Sinarum seu Cinæ, apud Sinas haberi extraneum, & qui eius ortum variè accersunt coniectaneis sic niti vt fateantur ignorare quod maxime adstruunt, vbi ex veris incipiunt agere. Visus est quibusdam Fajunus Sinensis Literatus libro ante annos quingentos edito fontem huius nominis inuenisse in regno Cambiæ, Indo, & Gangi mediterraneo, vbi Cina regionem sonat tranquillam, & bonam; Cinan vero longinquam & in extremis sitam. Alij quos inter Matthæus Niuius ab Rege Cin ducunt, magno illo, & fama meritorum celebratissimo, qui prodigiosum (de quo postea) murum opposuit Tartaris. Vicumque sit, Tartari, æternis odiis Sinensibus infensi Mangin eos hoc est barbaros vocant, tametsi nullum æquè nomen alienum sit à Sinis, qui quantum à morum barbarie, si tantum à barbaris abfuisſent, haudquaquam paucis ab hinc annis Tartarorum sub iugo gemerent, ac ne vager in hippophagis quærendis, & Sericanis (qui & ipsi sunt Sinæ) Sinas alios Saraceni præter Carajum nullos norunt, quo de vocabulo tantopere hæctenus agitato, erit item nobis opportunius videndum. Sinæ quidem constanti, & stabili nomine patriam suam, vocant Ciumhoa, seu Ciunquum, hoc est regnum, vel hortum in medio, quod suo illo solo nihil vsquam terrarum felicius; nihil suis hominibus, in omni genere humano existiment cultius, proinde se locum honoris præstantia medio in orbe obtinere. Præter hanc diuersas nomenclationes à familiis fortiuntur, in quas lapsu ætatum & regiarum stirpium occasu

<sup>3.</sup>  
Nomen Ci-  
næ seu Sina-  
rum vade!

Imperium transit. Noui enim tunc Reges, nouo se faustoque appellant nomine, à quo tamdiu & Sinæ, & domus regia, & ætas eiusdem sub familiæ Imperio consequens nominatur. Ex quo mirum lux quanta Historiæ illorum affulgeat, ob succedentium principum ordinatissimas series ex quibus contextitur, discerniturque temporum ratio, consignatis semper, regnantis familiæ nomini annorum gestis per quos illa sceptrum tenuerit. Extant eiusmodi nomina, sanè insignia, & significatu arcano mira, in descriptione familiarum regalium, quale, vt alia taceam, bellicosissimi illius Ciu, qui ante annos ferè quadringentos ex sacrificuli Ethnici coquulo, in Humuum mutatus (quo bellicosum significant) & Ducem armorum formidandum, fregit, retrusitque extramurum ingentem Tartaros qui septuagesimum iam annum Sinas opprimebant, translatoque armis ab Iuena stirpe in suam Imperio, tum sibi, tum quod consequens erat Sinis, tum suæ dum illa rerum potiretur familiæ gloriosum Tamin indidit titulum, qui eximius splendor, & sol primus apud nos efferretur; cuius etiamnum superstes est tenuis & vltimus radius, in Rege iuvene, quem in montium latebras, Sinarum haud pridem dominus Tartarus coegit, ad vitam in regni angulo seruandam qui solus fidem constanter ipsi seruauerat. Sequitur nunc diagraphica Sinarum delineatio. Ea ferè in quadrum tenditur parte altera longius, eius maximo lateri probatissimæ obseruationes gradus assignant in meridiano circulo tres & viginti, ab insula Hainan, transmurus usque Tartaris obiectum: iacet enim Hainan sub gradu nono & decimo; murus post quadagesimum secundum latitudinis borealis. Nam postquam P. Matthæus Riccius urbem regiam Pechin primus omnium comperit quadagesimo subiacere; murum autem illum, dierum agrè duorum itinere, ad Septentrionem accedere propius, clarum fuit spatio interiecto gradus relinqui non integrè duos, tribus enim circiter diebus, vnum tantum gradum Sinenles obeunt. Latus alteram quadrati breuius ab ortu in occasum, sunt qui triginta definiunt gradibus, quos erroris tum ipse Riccius, tum qui ante illum scripsere conuincunt, ipsæque adeo tabulæ, cum extrema lateris maximè semota gradus contineant dumtaxat viginti; pro ratione breuitatis quæ tantum contrahit parallelos, quantum ab æquatore recesserint. Sed longitudinem quam dicunt Geographi certò statuere id verò est operosius, spatium, inquam, à Meridiano fortunatis insulis imminenti, ex quo illam solent dimetiri. Obseruati enim ad eam signandam defectus luminum, & huc ad nos Macao, Sciaochino, Pechino, aliunde transmissi, omnino inter se plus dissident, quam ferre possit varietas tum cartarum Astronomicarum, tum qualiumcumque organorum. Quare regiam Pechin totius Imperij locum vnice memorandum, non ausim potius à Palma insula longitudine graduum centum quadraginta disiungere, quam centum quadraginta quinque, cum vtriusque ad manum in promptu habeam seruata de cælo; tametsi ne quid dissimulem quæ de Iaponia venerunt priorem

4.  
Situs, amplitudo, munita Sin.

priorem magis sententiam adstruant. Sed ab hac Sinarum circumscriptione, regna excludo clientelaria quæ Sinarum nec iure, nec nomine veniunt. Iam hæc tanta locorum immensitas, intra se natura, & arte manūque ita concluditur, ut arcem referat, muro fossa & aggeribus anxie munitam, & illic præcipue tutam, ubi erat hosti magis obnoxia, nam mare geminum quo ab ortu & austro alluitur, cingunt perpetuæ insulæ, & cæci scopuli, moleque arenarum, & proiecta in aquas acumina rupium, tam dense continua ut naues bellicæ cogantur procul abstinere, piscatoriæ extremo periculo locum tentent, quod eum fluctus æstuantis reciprocatio, & torrentes vndarum accessus & recessus, infamem naufragiis fecerint. Quæ si parum tutos externo ab hoste Sinas illa ex parte munit, tuetur illos insani Tiphonis rabies illic violentior quam toto alijs oriente, qui Tipho ab iis propterea, hoc est ventus magnus ex prærogatiua furendi ac nocendi vocatur; nam sæpe correptas sublime attollit etiam onerarias, carina vix vndas lambente, contortasque in littus comminuit. Ad hæc mare procellis decussatum, quasi multa inter se pugnancia maria committit. Horis enim quatuor & viginti, tanta est formidabilis venti vis, nautici gnomonis quadrantes omnes obit, totumque horizontem circulo integro tempestatum inuoluit. Sic ergo à mari egregie tutos, cingit ab occasu catena montium, qua confines arcetur, in regna quidem plurima diuisa, sed quæ iunctis etiam viribus, mouere in Sinas nihil valeant, multo minus seorsum singula; numeratur in iis regnum Anan (quod Cocincinam, & Tunchin complectitur) Pegu, Mien, Laum, Tibetum, diu pro Cataio perperam creditum, aliisque non paruo numero, propius longiusq; femora. Restabat tractus septentrionalis, minus cæteris ab hoste securus, ubi Sinis imminet Tartari, suntque illis præcipue metuendi; etsi enim multum & situ & animis inter se distracti, sed multitudine innumerabiles. & ubi de Sinis agitur, omnes concordibus inimicitijs in eos infensi. Hac illos defendunt Sciami deserta squalore sterili & immanibus arenis non modo inhospita; sed etiam inuia, cum mensē ut ferunt, integro ad ea sit opus; hæc circuitu vario longa curuantur in spatia, & regni Tibeticius è regione incipiunt toto latere superato, in ortum flectunt, Sinas radunt, eosque ab Tartaris Salamandæ, & Taj discernunt; inde Septentrionem versus tendunt & incerto exitu clauduntur. Quanquam, & hos, & alios Tartaros Niuchenses maximè qui Chini appellantur, verguntque ad ortum, defendunt ab se mirabili opere Sinenles. Muro nempe illo fama celebri decantato, de quo hic necessariò dicendum. Caput

5.  
Murus inter  
Sin. & Tar-  
taros.

familiæ regis Cin antiquissimæ & illustrissimæ, Princeps fuit armorum gloria, & magnificentia operum apud Sinas nemini secundus, eumque Literati habent perpetuo in ore, is aut somnio monitus, aut vaticinio, aut forte veriùs, sagacitate mentis eximie prouida, præsensit Tartaros, ut primum faueret occasio, irruptionem in Sinas facturos, & inundaturos totum imperium. Præfensione

hac capaci animo versata, statuit non modo in praesens consulere, sed munitione inexpugnabili, spes illis omnes impressionis regno intentandae in perpetuum amputare. Mature igitur consultum celeritate acri vrgens, anno post sua vicennalia secundo, annis ante Christum plus minus ducentis quindecim trium hominum decimationem toto Imperio indicit, qui ad opus loco & tempore praesto essent. Sua millenis quibusque assignat interualla, quibus muniendis eodem tempore laborem conferrent, Needum quinquennium fluxerat, cum fuit ipsemet indictae, confectaeque operae spectator, qua nihil vsquam prodigiosius. Perstat enim, ridetque nunc etiam, annorum centenarias aetates vnam & viginti, sic intacta, & firma, vt si foret hesternus de manu opificum labor, surgit pari vbique altitudine muri moles in Sinenses cubitos triginta; & duodecim saltem continuata crassitie, ab Oriente in occasum, stadiorum Sinensium decem millia conficit: quae suo quoque vocabulo, Valicini scilicet indicat. Cumque habeat quinque huiusmodi stadia, Italicum quodlibet milliare, opus vniuersum in milliaria protendi bis mille necesse est, cui vel partem si labet, dimensione plane falsa dimidiam dare, sua tamen incomparabilis, fabricae constabit magnificentia. Nihil in ea, rupis emortuae; sed tota ex lapide secturae quadrata, viuaque ex vena, & annorum iniurias coelique peruidura. Falsone an vero simile, iactant Sinenses praefectis operum, poenam capitis ab Rege Cin positam, si qua Saxa inter se conferuntur, eorum iunctura clauum admitteret, quod vana fortassis confictum ostentatione, exquisita certe sectorum marmorum commissura minimè refellit. Ad murum praecelsae assurgunt, & iustis spatiis crebrae turres eumque distingunt, & praefidiatio milite alas utrinque planas muniunt, suae custodiae creditas. Nec desunt portis, quibus murum pertundi, sed tarris oportuit, propugnacula hostibus obiecta. Nunc muri eiusdem delineatio ex Tali faucibus ab ortu incipit, quod flumen Tartariam Niu-chensem, à regno, & peninsula Coraia scindit; multis passuum centenis intra mare fundatus super iactis in altum, crudo ex ferro solidis molibus, & vnda coaequatis attollitur, perque transvectum longo ductu mare, redditus continenti, prouinciam Leactum mediam flexu complectitur, & consequentem huic Pecelm seu quod idem est Pechinum. Inde productus vsque Sinem illic haeret, exceptus continuitate montium inaccessa, quorum latera pro muro sunt. Repetito post haec in occasum progressu, per multiplices amfractus: viae quam tenet ingenium sequitur, sursum deorsum, iugis, & saltibus insistens; torrentes, & fluuios, vbi occurrerint arcu iungens, Hoano, cuius redibit postea mentio, ob distantiam riparum praetermissio, muroque vastè inter illas hiante, qui demum resurgens ab vteriori eius fluuij ripa, opere nusquam intercepto, in eundem Hoanum incidit, mazandris serpentem enormibus, illic murus ad ripam Lintai desinit in Prouincia Scienfi. Sed de missis in mari eius fundamentis quod ex fide scriptorum hic à me traditur, omnino dissidet à Geographica tabula

Leaotunæ provinciae, quam summè veracem apud me asseruo typis Sinenfibus excusam. Hæc murum exhibet è solo continenti ortum; & plus minus mare, semper tamen sectantem. Atque hætenus muri portentosum opus quod arcet ab Sinis Tartaros, & ab istorum incurfionibus, fines provinciarum quatuor sui obiectu securas præstat; seipsum autem ut vulgo scribitur, milite decies centeno milleno, ut autem refert ex fido quem legerat eorum elencho P. Ioannes Rodrigues diligentissimus rerum Sinenfium indagator, millibus circiter sexcentis octoginta tribus, qui numerus stipendio regio, accuratione tam sollicita retinetur, ut ei aut morte, aut missione causaria si quis desit vix in alterum diem suppleendus locus differatur.

Porro illa terrarum vastitas quam illi tot gradus metiuntur quibus Sina diximus comprehendere, quam benigna, fortunataque sit, ab iis cum stupore describitur, qui & ipsi videre, & percursare non obiter. Soli amenitate, copia fructuum, cultura delitiis hortu similem faciunt. Zonas tres integrè non implet, nec enim subit in torridam, nisi Cantonis & Quansij provinciarum extremis duobus extra tropicum projectis. Zonæ temperatæ partem dimidiam cætera obtinent, sic tamen ut commodis, Pechinum & Sciansium minimè careant earum regionum, quæ ad Septemtriones maximè accedunt. Illic enim est hyems acrior quam ferant gradus quadraginta polaris celsitatis. Ergo Nouembris iam medio concrefcent lacus & flumina seu valido frigore, seu conditione aquatum, in quas fortè solum aluminosos halitus inspirat; stringuntur vero ad vsque Martium gelu tam firmo, & solido ut currus, & equites commodè patiantur, sic benefica plagæ cuiuslibet participant Sinenfes discrimina, seclusa quarundam barbarie, & aliarum inerti mollitie. Ad situm quod attinet, nec iacet in planis vbique distenta regio, nec tota in montibus, licet suos singulæ Appenninos & Alpes provinciae habeant, sed pulchris circum arboribus sylvas, & ad omnem sculpturæ solertiam pretiosas; vulgaribus autem quæ ædificiis domorum & nauium sufficiat, nam vix nisi ex ligno ædificant; nec multo frequentia minori, habitantur in aqua naues quam in terra domus; tam vili utrobique materiæ pretio, ut quarta parte sumptuum non consent, qui necessarij forent in Europa. Montium tamen pars maxima, & præcipuè ferax, cultu subacta domestico optimatur, iugisque illorum in plana circum varia dirutis parantur ingentes segetibus campi; quæ vero planis inferioribus insurgunt decliuia, ut superiora suffulciant, ea quotidiani vsus oleribus omituntur qui ferè pauperum cibus est, quæ diligentia cultura acuit Sinarum ingenia ad deducendas ex editis aquas, dispensandasque machinis in fiticulosa, vel irrigatione interdum egentia, & procul incredibile voluptate tum illa montium virens scena, gradatim ab imo se efferens paulatimque in summo colligens; tum alia proceris arboribus & syluis densa, passimque cœnobii, & sacellis sparsa, vbi ascetæ seminudi vi-

6.  
Temperies  
& fertilitas  
Sin.



tam trahunt voluntariis pœnis exercitam, & credeli ludibrio dæmonis dupliciter litant, dum hic gelu hiberno torquet infelices, illic igni æterno expectat eruciandos. Iam ut in plana descenditur, patent ea campis æqualiter diffusa tam vastis, ut vel inter duas Nanchini & Pechini regias ager sit centenis aliquot milliaribus continenter planus, ferax, & ne palmo quidem natura sterilis aut negligentia incultus. Egent enim Sinæ suo omni quantuscumque sit proventu ad infinitatem populi alendam, quamquam soli ea sit vbertas, ut sementem quotannis concipiat, & referat duplicem, quin & alicubi triplicem. Leucas P. Andreas Palmerius à lanceo Pechinum confecit; ducentas tam æquæ planitie ut si forent arte exæquata: virebant omnia tritico, in spicas & grana perducto, eratque tunc Maius mensis; abeunte Iulio cum rediret, omnia milio & leguminibus herbescebant, nec vero sætu hoc tam assiduo sterilefcit terra, nec emaciatur, gravidati potius videtur conceptu tam diuite, ut Prouinciam Sciantunensem (ne alias memorem) anni vnus faustitas decem annos alat, abundetque etiam in vicinos. Ac mirantur Sinæ cum audiunt, campum apud nos defatigari vno partu, & effectum reddi, esseque annuis ortis necessariò reparandum; præterquam quod suis agris, mediam partem laboris non tribuant quem nostris impendimus: Nempe scaturiunt vndique lapsus aquarum perennium fecundandi, qui subterraneis extrasi venis, soli mollitiem ac pinguedinem fouent: vnus ut alios taceam, mons Prouinciæ Huquanensis, lacus numerat quatuor & v ginti, limpidissima omnes aquæ, aut illic natos, aut inde ad montis radices collectos, nec vlla ferè Prouincia suis caret, iisque tam amplis ut etiam insulis habitentur. Surgunt porro aquarum capita vndequaque, riui, & flumina, conciliandæque agris omnibus vbertati, natura iudice, non minus æquo iure diuiduntur, quàm si arte humana forent vel recto arbitrio ditribitoris attributa: in promptu apud me est, Hydrographica illorum delineatio, à P. Michaële Ruggerio, qui primus è Societate in regno Sinarum sedem fixit, refertque admodum graphice venarum anatomen quæ tatum huiorem ministrant & quaqua versum funduntur ex truncis decumanis in angustiores, hæque rursus in exiliores decursu erratico propagantur. Ac sicubi sunt aquarum parciore natura, eas quamlibet è longinquo accersunt incolæ, non modo ad agros saginandos, com meatusque mercium; sed ad voluptarios quoque vsus. Gaudent enim Sinenses, piscinis, Eutippis, viuariis, suburbana sua, hortosque ornate, quibus amœnissimis delectantur, ad literarium secessum, & laxandos à curis animos. Verum hæc tanta fluminum copia nulli æquè conducit, ut commerciorum opportunitati. Nam cum extent dense reguo toto vrbes, & frequentissima ciuibus oppida, nusquam ferè defunt qui ea propiùs alluant fluij; & quibus illos negauit natura, industria contulit, horum autem ripas prætexunt arbores virore perpetuo, vmbraque nauigiis faciunt vltro citroque præteruentibus. Vetat tamen Lex vetus quinis illas ab

ora

7.  
Lacus, & flumina  
natiua & manu-  
facta.

ora cubitis propius conseri ne aduerso nitentibus aluco, impedimento sint. Quorundam tamen fluuiorum crepidò, quadratæ secturæ muro prætenditur solido, & pulchritudinis accuratæ, quæ diligentia Sinarum in concinnando profusis sumptibus fluuiorum vsu ex eo nascitur, quod multitudine nauium omnis generis teguntur, quæ licet illorum excuset oculos, qui tantumdem hominum, & familiarum in aquis degere scripserunt quantum in vrbibus & toto imperij continente; haud tamen inde fit quin multitudine innumerabili, & habitentur naues, & agantur. Viarum publicarum ea est per sese magnificentia, tam superbus pontium quibus eæ iunguntur sumptus & numerus, vt possint merito inter vetera illa orbis prodigia censerì. Perfossi ligone improbo: viuo è saxo colles & scopuli, apertis in latus alterum spatioso meatu eorum visceribus; æquatæ solo rupes altissimæ, & ruinis illarum impletæ voragines, & saltus, ad complanandum tantummodo iter agentibus, laborem, aut certè contrahendum, nullo id difficilium aditu vrbium vsu mutuo exigente; earundem vbique viarum æqualitas, amplitudo, vmbra, amenitas, stratura ingenti & duro ex lapide; regia stationibus opportunis palatia, & excipiendis laudè hospitibus ædes à publico positæ. De pontibus vero & in arcus, & in planum distentis, eorumque immani numero quæ legi, haud putarem me satis probaturum, nisi ex eorum testimonio scriberem, qui & ipsi suis spectarunt oculis, & auctoritatis suæ proba fide meam liberarunt. Est ergo in primis admirationi portentosus in Prouincia Sciensi, Sineses cubitos quadringentos, vno fornice complexus, quo Hoanum coniungit fluuium, & ab summo illius aluco ad supremum apsidem quingentis attollitur cubitis. Eius vterque pes duabus insidit rupibus è regione oppositis, inter quas Hoanus quanto arctatur angustius, tanto rapidius cursum præcipitat; sed qua tandem arte conformari potuerint succubi fornices, erigique arcui sustinendo tantæ vastitatis & altitudine tam excelsa in annem rapidissimum pendenti, scitu digna res foret, & suspiceretur magis architectus admirabilitate perfecti operis, quam Princeps magnificentia imperati; cæterum sat vera nec ne de illa narrentur fabrica, illius certè memoriam omnem vetustas aboleuit. Extat alius haud procul à Cineaceo pons, Fochiensis Prouinciæ vrbe maritima, alio nomine memorandus. Audiamus ab ipsomet inspectore descriptionem eius de Italico Latinam qua iure omnino profitetur, nullam esse cum eo aliorum vsquam in terris pontium comparisonem. Bis, inquit, illum curiosius spectavi, & magnitudine operis bis hæsi attonitus; non necitur arcuum curuaturis, sed columnis suspenditur vt minus trecentis, in modum nauium constructis vtrisque rostratum, ad excipiendos frangendosque mollius aquarum impetus. Pilas iungit structura superior lapidibus quinque prægrandibus longitudine denum & octo passuum singulis; latitudine & crassitie duorum, quos meo ipsemet incollu mensus sum, harumque è marmore velut ingentium tra-

8.  
Pontes mi-  
rab.

bium, quadringentæ supra mille componunt. Mirandus, oppido ad stuporem labor, seu moles attendas illorum lapidum peruectas, & paratis columnis impositas; seu præcipuè latomicarum tam fauentes venas, ut tanto inde numero excidi, eadem omnes mensura potuerint; ac ne quod pontem transmissuri discrimen subirent, latus utrumque peribolus eodem ex lapide, à lapsu defendit; & leonum figuris sua è basi extantibus, similique ornatu pulchrè distinguitur, sed intelligendum de ponte quod narro, eius alteram solùm partem describere, ab Logano nimirum oppido, ad castellum medio ferè ponti inædificatum, qui porrigitur in partem alteram haud multò breuiorem, cætera iam dictæ in omnibus parem. Insumpti feruntur in id opus milliones dumtaxat quatuor (demus enim hoc nomen vsu tritum, commoditati Latini abaci) quam summam opinor in Europa, nemo non iusto censeat minorem, quare aduertendum est apud Sinas artifices omnes gratuitam operam publicis ædificiis ex officio debere, reliquos tam vili conuocari, ut diurna Europei mercede, Sinenses decem facillè diem locent. ] Hæc eò promere libuit ab teste oculato, ne minorum nimiam admirationem incredulitas sequeretur. Sunt enim eiusdem generis pontes, centum arcibus suspensi, & paludosis, ac inuiis impositi vallibus, aut fretis. Alij fissuris montium, & verticibus rupium injecti, altitudine oculis formidanda, recisis in murum scopulis ad trabes inferendas, quoad materiam vbique absque numero ex marmore tum puro tum vario; sunt quoad architectonicam, exquisitæ artis, & elegantissimæ ad ornatum sculpturæ.

9.  
Iter nauibus  
toto imperio  
Sina.

Quanquam autem hæc tanta publicarum viarum amœnitas, nedum facilitas, viatoribus præbeant gratum iter, sed nullus curruum apud illos vsus; boni vero illi Literati, hoc est vniuersa regni nobilitas, tam timidè equitant, ut cum officia per vrbes obeunt, quæ verantur fungi humeris alienis, aurigas duos hinc inde ad frenos habeant; maiestatis quidem nonnulla specie, re ipsa ne cespitans vel ferociens equus, illos excutiat; etsi adeo ignaua equi Sinenses sunt indole, ut audito solum Tartarorum inhitu in fugam vertantur. Accedit quod iidem Literati, sortiri crebro regendas Prouincias soliti, coguntur cum suis familiis mutare stationes: hinc fit ut nauium quàm terræ sit illic ad iter frequentia densior. Opportunitatis præsertim fauente illicio, quod Imperij pars, nulla sit tam longè ab aliis semota, quàm alicuius fluuij cum iis nexus non copulet, ex quo illud Riceij scite dictum, Sinas videri sibi Venetias. Quamocumque Cantonis Metropoli, Pechinum vsque Imperij regiam leuæ numerantur sexcentæ, dempto solum diei vnus per montem itinere, reliqua sunt nauigijs peruia. Cùmque fluminum lapsus præcipientes occurrant non pauci, mirum quantum ingenij nacti sunt Sinenses ad inuentionem machinarum, quibus ita illos complanant ut enavigentur securè ac facillè, clausis nempe multo & sumptuosissimo aggere vadolis, refusoque aliunde aquarum in ea superfluo. Vbicumque  
vero

vero fluuiorum editiores fossas & torrentes, parum tuto munit ripa vel agger humilior, & periclitantur ab eluuiionibus fata, & ab aqua decessu nauigia, ripas circum obarmant muris è commisso marmore altis & solidis ad retrudendas in alueum restagnationes, & ictus annium, quibus & aliis ad commodos, atque perpetuos quoquò versum, nauigantium commeatu, decies, plus minus, centena millia aureorum è silco regio dicuntur impendi. Tam trahendis in aduersos amnes, transmittendisque vltra retinacula illorum, nauibus, præsto semper est turba ingens, regio pariter conducta sumptu, & nautæ fluminum artificue suæ tam experientes, vt nihil sit illis intium nihil intutum. Flumen est Minus in Prouincia Fochiensi, aquis rapidis tam præceps, vt proni aluei triduum, diebus decem, nisi aduerso vix naues iterent; saxi præterea, & scopulis fractæ passim torquentur, & conuoluuntur vnda, summo vectorum periculo, cuiusmodi loca peculiari sollicitudine euadenda P. Simon à Cugna illac nauigans notauit ad trecenta. Subeunt tamen hæc audenter nautæ, artis suæ securi & lembis manuariis, temone ad puppim & proram duplici, sic præcipitium temperant, vt inter vicinos scopulos, arrecta, præsentique industria, & morentur impetum flexu continuo, & periculum exeant. Hinc trita Sinis parœmia, nauis cartacea, sed nauta ferreus: at Sinensium fluuiorum tanquam reges duos suspiciunt; alterum leucas duas latum, & quâ illum P. Palmerius transuectus est, septem; maris filium sonat Chian quod est fluuiio nomen, pulcris illum natura, eiusque ars æmula distinxit insulis. Sunt in iis quadrato ex lapide fabrefactæ turres, eû superposito illis elegantifano, & fani custode Ofciano, (qua de secta dicendum inferius) hic nauigiis prætereuntibus suam exhibet grauitatem, mitti obolum petens, ad alendam suo idolo lampadem, quæ lumen iis factura sit ad declinandam fluuij vbiq; discrimina, quæ absque lignea, lignei Dei sui ope euaserit nemo. Caput tollit hic amnis inter montes Mini, & regni confinia, mediisque Boreæ & Austrô, ab occasu medium secat imperium, vsque dum sub regia Nanchino, Orientali mergatur Oceano. Multas interluit, & sæcundat Prouincias, multosque scissus in alueos, suam denique in fossam redit, formatis in continenti compluribus insulis, earum præcipua, qua se in mare exonerat, ampla est, parque munitissima vrbi capiendæ, quæ illic omnino tanto erat magis necessaria, quanto maris accessus violentior naues extraneas vel hostiles, in ipsa poterat Sinarum viscera inferre, cum lunaribus vicibus ad centum leucas redundans à mari fluuius pertingat. Alter annium Princeps Hoan, antea nominatus, à croceo dicitur, quem & inducit subtilioris potius, terræ, quam arenæ; dilutus color, & quidem ita dense vt aquæ sedimentū quæ inde hauritur, eius tertiam partem efficiat: hinc Sinæ de rebus in spem longam reiectis; dictitant, futuras cum Hoanus limpida fluxerit, quod negant nisi post annos mille contingere. Habet præter hoc turbidum exleges, & enormes auctus; improuisis interdum eluuiionibus

crumpens extra se, confirmansque in Sinis exterorum odia, & metum dum vident Hoanum nequaquam indigenam, aliumde inuectum, in Sinas grassari & quam longè in eos excurrit tyrannum agere. Nascitur enim ex lacu Sino ex quo in alium angusto sinu transfunditur, in Chemluni montibus iacentem, è regione Prouinciæ Siciuensis, & si verum est quod fama aliqua traditum Riccius comperit suos etiam fontes Ganges habet ad radices illorum montium eiusdem Prouinciæ, quam ipse Chunlun, non Chenlum nominat: illinc ad Austrum Indiam peruadens, in Sinu Bengalæ moritur, de Gange vt vt fit; longos tractus regnorum emensus Hoanus, illuc tandem peruenit vbi Decumani, (de quo dictum est) muri progressu intercluso, ad Septentriones longius rapitur, & percursis Siami desertis Sinas denique intrat, excipiturque aperto muro, postque metas Prouinciis variis signatas, mari demum forbetur, non longè ab Hoaingano, vrbe præcipua Prouinciæ Nanchinensis, trigesimo quarto gradui subiecta. Nec Sinensi regno, vnus hic infestus est fluuius, rarus admodum annus est qui eluuiouibus non vexetur, & annium restagnatione, sic Pechinum annus 1607. refluxis aquis miserè obruit; Nanchinum subsequens, magno quidem locupletum damno, sed calamitate pauperum maiori.

10.  
Multitudo  
& pulchritudo  
navium  
incredib.

Huic tot annium numero qui omnem percommode in partem, Sinarum inter se miscent vltro citroque commercia, respondet navium innumerabilitas, & splendor de quibus qui scribunt, non putant longinquis se fidem facturos; est qui horis perpaucis onerarias censuit quingentas, quæ velis, Nanchinum subibant, ex quo item potest de vrbis populo & opibus conici. Bis mille bellicas vidit nobilis Lusitanus, sub maris Præfecto, custode Prouinciæ Cantonensis quæ regni limes est maximè suspectus, nullam vero in iis, Indiarum Cercuris ingentibus impatem, cataphractas omnes, suoque milite ac remigij instructas. Habet sola regio Cantonensis familiarum viginti millia in mari degentium, nec ambigitur quin pari numero aquas vt terram; Sines incolant. Distant enim à nostris plurimum eorum nauigia; tument nostra tametsi grandia in ventrem toto cadauere; extant non altius ex aquis quam opus sit ad fluctus retundendos, ne per tempestates ab iis deprimantur, omnisque illorum commoditas, duorum conclauium angustiis clauditur summæ puppi iniectis. Naues autem Sinarum, seu nectariæ sint, seu onerariæ domos portant commodæ laxitatis, Architectorum manu suis ad normam dispositas membris, & partibus; suis contignationibus laqueatas; suo in superioribus gynecæo, quo vitis nec pedem inferre nec oculum liceat. Iam illarum informatio, & ornatus, quibus vehuntur Magistratus, & diuites; imo aliæ vulgo formam referunt, nostrarum trireremium, sed habent Proreges, Mandarinorum præcipui, & Prouinciarum præfecti, Musicorum turbam ex castello ad proram, Tympanistas, Tubicines, & istiusmodi Cantotes qui repetita frequenter symphonia dominos suos exhibent.

larant. Qui tamen funguntur ministeriis nauticis, vel iis præsumunt, ædes subeunt nunquam, sed porticu libera, in puppim ex prora ad necessaria curstant, nec sinuntur domi heris aut vectoribus quos ducunt in conspectum venire. Aedes porro ex lignis aut odoratis, aut eximiiis, aulam in aditu exhibent capacem. Et vidisse Riccius memorat quæ mensas duodecim caperet, cum interiectis totidem sedibus; cui bellè membra ædium reliqua respondebant, hisque cætera nauigij moles; cingunt aulam saltem vtriusque cubicula, superbo ad splendorem & delicias ornata; fenestras aut velant subtilissima serica, vel reticulati ad scalprum cancelli cum fimbriis aureis, vnionum obducti conchis, in tenuissimas, & pellucens laminas fabre sectis, idemque ianuis, & peribolis cultus, quos ad prospectum vndique; porrigunt; nihil nudum; anaglyptis; auro, coloribus omnia decorantur. Cuius artificij peritiam nacti sunt planè singularem, iuncturis asserum tam seuerè inter se glutinatis vt nulla videntis graueolentia transpiret. Nec enim pice, quali nos, humorem à nauibus, & putredinem defendunt; sed legunt ætate ingenti copia lachrimam, quam Ciem vocitant, spontanea vltro vel incisa fluentem ex arbore, hanc arte defœcatam recondunt, promptamque cum vsus est variis miscent coloribus, elegantius tamen nigro vel aureo; gummitione hac lignum semel vnctum aptèque siccatum humorem in posterum nunquam sentit. Hanc ergo colorum varietate subactam multiplici, lineadis nauibus, & nauium ædibus foris, & intus adhibent, tam pulchra ad oculum specie, vt perse, quamuis impolita, epidermin induat vitream politis marmoribus tersiorem, & solem instar speculi reflectat; accedit coloribus, florum, anium, stemmatum pictura, & arborum, & quidquid potest oculos oblectare. Præter luxum hunc nauigiis ferè omnibus communem longè profusior in naues confertur ministris regiis destinatas; eunuchis, Literatis, & militaribus quorum est incredibilis multitudo, habentque velut reginæ cæterorum, qui omnem iis nauticum apparatus, viros, armamenta, euleum omnem ex æratio regio perpetuo suggerant, tabulam altè à prora præferunt, quæ cubitalibus aureis, eius qui vehitur inscriptum nomen, & Præfecturæ indicat dignitatem; hinc inde volitantia vexilla, & peculiariora ornamenta quæ nihil attinet percensere. Quamobrem illic nulla vsquam de loco gradùve contentio; quòd vt sunt honoris retinentissimi, sic sunt officij maximè obseruantes, nec quenquam lateat prærogatiua dignitatis, quæ cuique lege inuiolabili debetur. Nauigiis tamen quibus regi tributum trimestri quolibet singulæ mittunt Prouinciæ, reliquis omnibus vt de splendore, & excellentia, sic de honore facile concedunt. Velis semper feruntur dum ventus aspirat; sin autem remis, sed surdis & nunquam extantibus, instarque piscium subtus aquas ad agendam nauim luctantibus, verum vsque adeò peritè vt remex Sinenis, plus nostratibus octo promoueat; nauiumque vastis corporibus, pauci eorum sufficiant, cuius rei fides sit penes illos à quibus inde per-

scripta est, donec indidem ad nos explicatius ars illa perferatur utique usu optabilior quam scitu. Cæterum hæc tum nauigatio tum fluuiatilis inhabitatio, quantum iucunditatis, & commodi, tantum habet ingentis periculi, ne modica in latus proclinatione versæ naues subsidant & mergantur. Periculi causa est ædium imprimis, malorum deinde trium aut quatuor (nam tantis agendis molibus vnus non sufficit) ad captandum ventum excelsitas, itaque si flatus violentior, incubuerit velis repentinus, conclamata res est, nauesque necessariò euersæ sorbentur; quin nec illas noctu audent stationibus credere maiorum fluminum, vel etiam minorum faucibus, ne vndarum impulsu paulo grauiori subuersæ pereant. Sed (quod vidit Matthæus Riccius dum proano Iantio Nanchinum nauigat) post occasum solis, subducunt sese in vnum ex confluentibus in Iantium fluuiis, & dum illuxerit in operto hærent, non creant hoc nauibus discrimen auræ vela inflantes, semper enim velis vtuntur planis, & pandis, neque ex cannabe aut lino, sed ex herbæ cuiusdam longiori fronde tritæque contextis.

Ad opportunitatem itinerum, commerciorum, & feracitatis, quam Sinis suppeditant flumina, adiungendus est quæstus ex mercium diribitione qua ditant extraneos, & vicissim ditescunt. Quanquam iis affluant adeò largiter, vt possint externis carere. Metallis abundant omnibus, sed vetant aurum è terra effodi, experti fortassis ex aperta humo inhalari vapores, salubritatem cæli sui pessimè affluros, quam in nullis, suorum annalium legunt vnquam fuisse pestilite vitiatam; & quidem hoc mirabilius quod sitis ad austrum Prouinciis orizæ pro pane est, aluntque illam aquarum iacentium perpetua irrigatione; Aquilonares tamen frumento & milio vtuntur, quamobrem alij verosimilius lege cautum volunt venas auri tentare; non metu aëris infestandi, sed latronum, quos numero auctos & viribus, nec iam nisi iusto prælio vincendos prædæ furor agebat ad fodinas; indeque direptis omnibus, inexpugnabilia montium repetebant, quibus sceleratorum nidis videbantur auri officinæ sudare, eorumque suis laboribus & sumptu augere potentiam; cui, vt postea constabit, tam obnoxia sunt Prouinciæ omnes vt sibi magis ab intestinis prædonibus timeant quàm ab extraneo, & hoste. Adferri metalla quod attinet, eius copia quanta sit vel hoc vnum probet quod P. Iacobus Rho, anno 1629. testatur sibi occurrisse, transmittentem nimirum viginti dierum itinere tam excelsos montes vt Alpium iuga præ illis colliculi viderentur, incidisse se passim in crebras coquendi, fundendi, elaborandi ferri officinas, id ferrum iisdem è montibus erui, elaborati ferri quotidianum pondus, de fabricorum manibus exiens mille iumenta onerasse. Ad hæc omnis generis plantarum, & fructuum feracitas, præstantia, varietas, vt vsquam alibi gentium, excellens; arborum autem quæ nobis vernaculæ si qua Sinæ carent, vt forte amygdalo, hanc pensat affatim casia seu cinnamomum, piper, palmæ crocus, & alia nobis peregrina; illic sitis ad austrum propria; vnum  
inter

11.  
Metall. fod.  
cur aurum ex  
iis nō effod.

inter hæc valde mirum, quod oliuam, & vitem flocci curant, cum possint his quoque, si volunt affluere, cœlumque illorum Hispano, Italo, Græco & Siculo, bonitate graduque respondeat. Oleum ex granis diuersorum seminum exprimunt, quod quanquam insipidum plus sapit iis optimo oliuo. Ex granis item & frugibus potum premunt maximè generosum; sed iis, opinor, cum præ meliori, promptius, & securius placuisset, idem postea veluti proprium adamarunt. Hinc vites, & vina exotica, lectissimaque præ suo illo spernunt. Longe absurdus apud illos, ad lauta quoque conuiuia, venales canum, & equorum carnes publicè prostrare; idque veteri ex more, ob quem olim hippophagi dicti sunt, cum tamen iis maior, quàm in Europa volucrum omnium, & animantium abundet copia, etiam ferarum imo & tigrium, quotidianis autem mensis porcina domestica vſitator, & salubrior est, ob superuacaneum id pingue quo apud nos diffuit, cœli, aut pabuli conditione emendatum, apti cerui, & similes feræ vteunque æstimantur, ad victum raro adhibentur, cum enim Sinenſes nisi talaribus nunquam induantur eorumque pars optima, vnis ferè literis gloriatur, venatione nec afficiuntur, nec admodum valent. Iacet item ars pastoritia, quod nec lanis ducendis neque texendis dent operam, sed quod ex triplici pecoris tonsura prouenit in coactilia subigant: alia ex lana quam capræ mollissimam ferunt pannos elaborant. Præter hanc lanugo quædam interior ab iis in impilia cogitur tam delicata vt tactum fugiant, & se facillimè corpori applicent. Hæc ob raritatem, & pretium, soli induunt opulenti. Linum & cannaben contemunt, quippe in gossipio & sericis totiforis gossipij semina quingentis hinc annis acceperunt, quorum pſimi factus tam prodiga soli creuere vbertate, vt breui Sinas ditauerint. Inuentum serici ad annos referunt ante Christi aduentum bis mille octingentos quod ex probò temporum calculo in annum incideret ante diluuium vniuersale quadringentesimum. Per me quidem vt lubet certetur de tempore, quo primum Sinenſes dicti sint Sericani. De immensitate serici, quæ hoc nomen iis fecit, minor planè vero est omnis fama. Non quod vt vulgo est creditum ex arboribus colligatur, nisi locis quibusdam vbi genus bruchorum, quacumque ruri infederit filis inficit saliuarum, ex quibus texuntur panni viles, sed diuturni vsus. Commune sericum bombycum opus est, quibus Sinæ alendis moros infinitas quæ iuris vsusque sunt publici, vere, ac æstate foliis exuunt, illic enim per annum bombycum duplex est foetura, sed verna serici ob teneritatem foliorum mollioris, æstiuæ rudior, ob eorundem siccitatem. Fuit qui scriberet ex Prouincia tantum Cechiana, quam ex orbe reliquo vniuerso, plus Sericorum legi. Comparatione probatu difficili, nec minus quod alij afferunt, pluris nobis lanea decuplo quàm Sinenſibus serica; constare; vnoque in solo Nanchinensi textorum ducenta millia quàm sericis quàm Bombycinis occupari; sed hinc nihilominus non ægrè conficitur vtriusque materiæ vis ingens, ex quo

1a.  
Sericum.



fit vt licet ex Bengala, ex Pegu, Malaca, Siano, Camboia, Borneo, ab  
 vsque Iaponia, ipsisque Molucis, onerariæ in Sinas confluant, suumque  
 inde singulæ exportent iustum onus, semper tamen duplum tantum re-  
 linquant, multum præterea procellanæ (quod proprium est eius regni,  
 & pretiosissimum siglinum) reuebari etiam, & ligni medici quod Chi-  
 nam appellant, ac (ne pergam hic forum mercium explicare) moschi  
 plurimum eximij, & commodo pretio. Abundant enim animalibus à  
 quibus gignitur, quæ planè ab auctoribus oculatis ita describuntur vt  
 Paulus Venetus illa descripserat. Porro illic pecunia nec emitur quic-  
 quam nec venditur, nec vsus est moneta feriunda, demtis solum ex ære  
 minutis obolis, Imperatoris imagine signatis, filoque medio inferi, &  
 ferri solitis, quorum mille, nummum conficiunt. Omnis de cætero,  
 non auro sed argento permutatio fit. Merx est aurum, & emitur; emen-  
 do nequaquam adhibetur, eius pondus inæstimabile, perpurgati,  
 nec vitæ obrufa egentis, aquæ torrentes de montibus; de venis,  
 fluuij educunt, itaque vel sola Sciensis Prouincia, innumeros occupat  
 cernendis à creta, & sabulo amium, auri grumis, & granis. Destina-  
 tum vero emptionibus argentum funditur, fingiturque in nauiculas va-  
 rias, in quibus haud segnius examinatur pondus, quam materiæ præ-  
 scripta lex, rebus quidem vilibus emendis, infimus gradatim vero pro  
 emendorum præstantia, perfecta, atque absoluta. Hinc negotij multum,  
 sanè molesti, & anxij circumferendi semper libellam zona, & manu  
 forcem ponderi exigendo; conditionem enim metalli legitimam, eius-  
 que pretium; impressione characteris inspectores argenti indicant. Quan-  
 quam ei tractando, iam inde à puero assueti, sola manu prehensum ex-  
 plorant tam callidè vt si quid insertum ferri sit, ex molis, & ponderis  
 dissensione deprehendant, alioqui argento subarando Asiaticos om-  
 nes Sinæ vincunt, nec alia ex causa putatur exclusus à communi vsu  
 nummus argenteus nisi ad vitandam Chimicorum perfidiam quæ vna  
 est ex regni totius latissime fusa calamitas. Nunc vbi cunctis est inte-  
 grum, venditi pretium quam multis voluerit probationibus subdere,  
 sustinendis iis diffisi Chimici, ea periclitatione se abstinere. Atque his  
 hæcenus ad tanti Imperij leuidentiam notitiam satis. Sequitur de incol-  
 lis ponamus ea saltem quæ scitu digna sunt. Equidem ad numerum  
 quod spectat, iniri potest facilius quam credi. Habent enim libros  
 Prouinciæ singulæ adscriptis nominibus certi generis hominum ex qui-  
 bus potest aliorum numerus colligi. Lusitani certe stipari omnia tur-  
 bis virorum cum viderent, quærebant ioco, num illic feminæ vno  
 partu decem masculos ederent? & censer Riccius, annos septem & vi-  
 ginti Sinarum inquilinus, quam superius mirabamur regionum illarum  
 vbertatem angustam fore alendis earum populis nisi essent per se cibi  
 admodum parci, & infinita plebecula, sola prope oriza, herbisque victi-  
 taret. Cum ergo terrarum, & aquarum tanta immensitas, tot vbiq;  
 pagis, ciuitatibus, oppidis, domibus tam denso habitatore incolatur,  
 videntur

13.  
Moneta.

14.  
Sineal. mul-  
titudo innum-  
merabilis.

videntur à vero abesse propius qui trecentos illi tribuunt hominum  
 millones. Primum enim in eis cum sit classis quaedam, præstandi per se  
 officij certo iure, fusco obnoxia, eius habentur in tabulis nomina sexies  
 dena centena millia, quibus nec pueri ante vigesimum ætatis, nec viri  
 post sexagesimum adscribuntur; eximuntur & feminæ, & priuato be-  
 neficio complures alij. Accedit soli benignitas, arbitraria vxorum mul-  
 tudo; vitæ prolixitas cæli bonitatem, & victus parsimoniam conse-  
 quens; eruentæ legis seueritas, cuius extra regnum pedem efferenti sta-  
 tim subeunda pœna, ponendi nimirum capitis sub ferro carnificis in ipso  
 confini limine, tametsi ad tempus exiguum, & fide reditus oblata exitum  
 attentarit. Quam legem, eis vt deinde patebit, meticulosus patriæ amor,  
 & impotens tulit. Fortunam siquidem alibi locorum quam in Sinis  
 ambire aut suspicari meliorem, simile monstro sit cuiquam vnquam Si-  
 narum in mentem venisse; vt qui Sinas suas iactitent paradysum, orbem  
 reliquum vt inferos horreant, ad cruciatum mortalium conditos, vnde  
 vulgo inter se Europeos voce cognominant, quæ externum diabolium  
 sonat. Nec minus stolidè iudicant de tota suorum corporum conforma-  
 tione; gratia, venustate & excellentia, quam putant naturæ huma-  
 næ archotypam; nos è contrario indocta & rudiatia eiusdem naturæ  
 ectypa, ad eandem ficta voluptatem, quam solent monstra spectanti-  
 bus afferre. Sunt autem corpore ad laborem compacto, lacertosi, angu-  
 stis oculis & depressis, breui extra modum naso, barba quam ægrè ante  
 trigessimam ætatis mittunt, adeo auara, vt qui pilos viginti nactus sit,  
 pammam barbarum ferat; oliuario ad austrum colore, sed prout ad po-  
 lum proceditur albescente, vultu planiori, alicubi tantum non quadrato,  
 minus vitis deformes sunt pueri. Fiunt enim ætate crassiores, & magis  
 agrestes, habentque se tunc maximè formosos, cum re vera sunt maxi-  
 mè deformes: capillorum præterea proprius, & momenti solliciti para-  
 tus; fusco erine sunt omnes, & in nigrum vergente; à flauo abhorrent,  
 tanquam ominoso: pueris ad annos quindecim, efflorescit è summo ver-  
 tice, crescitque floccus, circum raditur residuum capitis; inde ad vige-  
 simam ætatis intacta cæsarie, fusaque in humeros incedunt, collectam  
 demum, ligatamque ab imis radicibus ad summum capitis, concinnè in  
 glomum reuoluunt; caput reliquum, & frontem reticulo cingunt, è seta  
 equina pulcherrimè texto. Vicennalia tandem illa quibus rete hoc in-  
 duunt festis dapibus læti colunt. De pileo qui varius est, multorumque  
 index arcanorum suo loco dicam, & quando Sinensem ad viuum hic  
 reddidi, adiungo & illi suum omnem cultum. Abolla Sinenses talari &  
 ampla induuntur, etiam milites, eius oras apertas f. minæ ad pectus con-  
 duplicant, viri ad dextrum latus super humero fibulatas, brachio subne-  
 ctunt; manicas ad pompam laxitate insignes, & prælongas in brachia  
 colligunt. Aptant huic togæ Magistratus emblemata aurea ad elegan-  
 tiam, & insignia honoris sed quæ graui decore habitus illius nihil quic-  
 quam detrahunt. Sericum gestant etiam fortuna mediocres, decet ple-

15.  
 Oris & corp.  
 habitus.

beios niger color, iuuenes varius; maturos modestus, Magistratum quorundam dignitati, & festis honoribus seruat cœruleus. Indusij (quo carent) commoda, supplent frequenti lotionē. Tibias raso serico tegunt & albo damasceno, quidam subtilibus fasciis vna cum pedibus inuoluunt & tibias. Alutam vt vilem prorsus aduersantur, è crassiori serico calceos sarcunt, eosque diuersa phrigij operis venustate, floccisque decorant. Zonas ferunt auro gemmisque distinctas, pro gradu officij, quod gerunt plus minus spectabiles. Digitos annulis non coronant horum loco muscaria semper manibus tenent, picturis, quidem æstimabilia, sed herosa, præsertim, Literati cuiuspiam caractere ac munus, styloque sententia umbella soles, & pluuiam vitant, nec fas est per morem alio tegmine; mutationem vestium congruam indicunt omnibus quatuor anni vices; nouitas habitus aut illic nata sit, aut aliunde inuecta exploditur. Veste indui peregrina ijs æquè sit, vti se ferre pro barbaro, Sinesem, & hominem negare. Hominem itaque modis omnibus insulsum expressuri, solent ipsi affingere omnia mori suo genioque opposita, adeo se suaque suspiciunt, grandes oculos & paulum extantes; oblongum nasum; promissorem & densam barbam; flauos crines; tunicam breuiorem.

15.  
Animi do-  
ges.

De animi dotibus, laude dignis aut secus; de moribus; vsuque familiari & ciuili dicam vt videro ad elucidandam historiam conducibilius. Perpicacitate ingenij supra Europeos, valere Sineses, fatentur diu cum iis versati, fietque postmodum clarius ex inuentione artium & cultu literarum quas in iis mirabimur. Huius ingenij partus est lycophantia illa quam vulgo inopi videtur natura indidisse velut artem quærendi sibi victus. adeo sagacem, vt centum oculos & fallat, & fugiat. Mercatores contra fide inuolabili gloriantur suntque ipsa re, tam certò fideles vt promissione simplici teneri se putent, tanquam iureiurando sanctissimo, & capitis pignore. Quod primis commerciis experti Europei si saltem imitati essent, qui primi exemplo esse debuerant haudquaquam postea grandi suo malo, duplo se peiores magisque perfidos sensissent.

Iam exterior species singulorum ea est velut magistratu fungentium, non modo habitus maiestate, sed grauitate oris, aspectus, & incessus, corporisque totius compositione. Caput huc illuc temerè vertere, leuis apud illos cerebri argumentum. Circulos autem paucorum aut plurium cogere, spargendis rumoribus, & risu tempus contere, publica censetur morum solutio. Periurium, effrænè, licentius, contumeliosum quidpiam, nec à rixantibus audias, nisi forte interdum à mediastino & flagitioso; cursationibus per urbem vagis, & captationibus amorum ne vocabulum quidem illic est. Et Sinesem feminam aspectus cuiuspiam subisse perinde est vt fuisse ab illo constupratam. Quantumuis autem hæc scena sit virtutis potius quam virtus, & cordi æquè nihil habeant, quam vt de se honesti specimen præbeant, splendet tamen hæc pompa luculenter, & Sinis omnino peculiaris est, iuuatque ad mores rationis imperio

imperio frændos; nam si pudor innatus homines continet, alioqui demerit in probrosa omnia ruituros, quanto magis lege, moreque inductus, quo ratum est omnibus ab omni, saltem exterius vitiij nota procul abstinere. Hinc illa in morus animi turbulentos potestas ne foras erumpant, cùmque alibi regnotum nusquam vt in Sinis ambitus ferueat, quod iure ingenij possit quouis, præter solum regnum, affectare omnes alias dignitates; necesse est tanta, æmulatione, inuidia, rancore, clam quoque omnia æstare, quos nihilominus capitalibus apud se odiis execrantur hos blanda specie, & amica deuinciunt; nec vnquam præferi-  
 pros officiorum apices iis negant, nam etsi sit ingens Magistratum & graduum numerus, sua tamen singulis, honorum, munerum, & notarum finibus descripta sunt iura, quæ nemo fas putat vlla ex causa violare; vbi ergo flectenda genua, incuruandum corpus, fronte humus verrenda, quantacumque quis ira in alterum interius ardeat, premit illos ignes doloso cinere, nec vrbauitatis huius scrupulosæ vel punctum omittit, ratus id demum hominem decere candidum, & probè moratum. Nec minori arte acceptæ iniuriæ sensum dissimulant, ne fiant iniqui, erga se magis iniurij, si prorumpant in iras, nec vinci melius quam tacendo posse. Sic vitam vt fabulam perpetuo agunt. Tenentque pro regula communis, & notæ veritatis, ferinum esse non hominis ad manus venire; bellum autem aliud non esse, nisi feritatem, arte ac legibus quas feræ non habent vtcumque digestam; vicissim audacia, & robore corporis, superiores homine feras esse, humanitate nihil, magis homini conuenire, quamobrem hac sui opinione magnifica imbutis, se solos mortalium, naturæ integræ dictatis insistere, & assuetis continuo philosophari de moribus, idem est irasci, vt hominè prorsus exuere, & si minus in belluam, saltem in barbarum mutari, quin & simplici indignatione, quod tendat in alterius contemptum, tam procul abstinent, vt in oppositum illidant, leges videlicet vrbauitatis immodicæ ita onerosas, vt cum paucas tantum innox propofuero, futurus sit nemo cui non quælibet agendi rusticitas, quam illa Sinensium ceremoniarum laciniosa feruitus, videatur esse tolerabilior. Inter quinque quos ponunt virtutum cardines vrbauitatem inprimis statuunt, in absurdo quodam officiosæ reuerentiæ decoro, non eorum quos colunt tanta habita ratione, quam vt bellè ac largiter vrbani censeantur. Neminem itaque re quidem ex vulgi sordibus & limo compellarint, nisi titulis tam honorificis, vt Principis ambitus possit facile minoribus expleri; malos agentem, exempli gratia, vocabit nobilis, magnum virgatores, læsurus grauitè, si vero nomine vocarit agasonem. Sic habent suam opifices reliqui qua compellentur honoris formulam quam nefas est prætermittere; eam dum quis ignorat, communem interea adhibet, & fratrem nominat. Sunt iis præterea lexica suis de rebus, & de alienis, quibus sua semper abiiciant, attollant, & laudent aliena; se-  
 cus qui faxit non lingua modo sed moribus notatur barbarus. Quod

16.  
 Vrbauitatis  
 infinitæ.

planè aduenis diligenter prospiciendum est hæsurus alioqui in percipienda sententia linguæ huius ad nauſeam urbanæ, & toto cælo à communi diuerſæ. Quis enim diuinet amorem tuum, verbi cauſa, prætiolum, ſignificare filiolum tuam? Tuam filiolum niſi contemptim nec dici nec accipi? eſtque par de lapſu, de febrî, de calamitate tua ratio. Alienum quoduis adpergendum eſt non nulla elegantia, vel reuerentiæ adiuncto: è contrario propria, deprimens ſemper humili aliquo abiectionis epitheto. In quo nunc placet hoc tantum aduertere, tam exquiſitam, & religioſam eſſe hanc urbanitatis obſeruationem vt Sinenſi ruri educatum ad noſtros aulicos, aulicorum alpha, & ciuilitatis magiſtrum exiſtmes. Externos denique, quod mirere, tametiſi præ ſe nihili faciant; ſuadente decoro, tractant honorificè, & obſeruant; primas vbique illis attribuunt, & procul adueſti longinquitatis ordine primi ſedent. Hoc vero lege tam ſtabili conſtat vt noſtri ex Europa Patres extorquere nunquam potuerint Sinarum cuiquam etiam nobiliſſimo poſtponi: externis deinceps, vt quiſque ſenior aſſidet; annos alterius ignorans de iis interrogat, ne grandi ſcilicet inurbanitatis piaculo ſenis locum occupet iunior; ſolenne quippe illorum eſt eos præ aliis obſeruari, qui poſſeſſionem huius mundi priores inierint: quare apud illos canities, & ſenectus primariam obtinet honoris appellationem, nec minus colitur quam quæuis alibi prærogatiua dignitatis: atque huc fortassis pertinet illud antiquariæ raritatis quo prope inſaniunt ſtudium, haud quidem in ſtatuis, & hitoriis iconum; ſed in vaſis metalli cuiuſlibet, artiſcij, & auctoris, ambitioſe indagandis & grandi pecuniæ pondere comparandis. Vna iis pretium facit antiquitas, quanto ſæculis eroſa tanto pretioſius emuntur; quantum de vetuſta ærugine, tantum de æſtimatione detraxeris; ſcripturas quoque manu docta pictas pluriſimi faciunt, ſed auctoris ſigillo probatas. Fumoſas autem imagines veterum, virtute famæque illuſtrium dici non poteſt quantopere mirentur, in quibus nec artem, nec colores attendunt, ſed ductus rudiaræ graphidis ſimplices, dumtaxat ne deſit figura quæ archetypum vt cumque referat, quanta enim virtutem immortalitate memoriæ proſequantur iis ſpectabimus exemplis quorum foret imitatione præclare noſtratibus conſultum ſi dignarentur Sinarum eſſe diſcipuli: vnum obiter attingo donec aliis ſit locus. In Prouincia Scianſiana diem obiit peregrè vir diues apud hospitem valdè fidum. Deſuncti theſaurum clam cunctis hoſpes ſeruauit intactum, dum eius filio forte illac iter agenti reſtituit malens pauper & innocens viuere, quam reus & alieno diues: huic tantæ hoſpitis fidei ære publico templum Prouincia poſuit, cuiusque æterno nomini dedicauit: nempe inter Sinas, haud quaquam obſcuritas ſanguinis virtuti officit, ſed nobilitatur potiùs virtutis præſtantia; quin & tenuem hoſpitem probitatis nomine ſua Prouincia tanti fecit, vt cognomentum ſibi aſciuerit Amantis pietatem.

17.  
Antiquariæ  
rei ardor.

18.  
Æſtimatione  
virtutis in-  
gens.

19.  
Feminarum  
virtus & ma-  
trimonia.

Debetur & feminis ſua laus accuratiſſimæ honeſtatis eſto coactæ aut liberæ.

liberæ. Degunt suis clausæ gyneceis veluti carcere, non modo à publico, sed ab domesticis etiam seiunctæ, præterquam filiolis paruulis idque tam sanctè obseruatur, vt ne parens quidem, vxorato, vt sæpè fit, filio, intentans verbera confugientem ad matrem sequi aufit, sed in gyneceo ab iure patrio tanquam in asylo securum prætereat. Ne possint autem ab vilo conspici in ædificandis earum cubiculis cautè prouiderut vt nulla ex parte prospectui pateat. Domo non prodeunt nisi admodù raro; ac si sunt diuites gestatoria sella sic sepultæ vt paucis agrè foramen tenue relinquatur cui possint oculum admouere; sola ex Prouinciis quindecim Iunana regnorum confinium sectatur licentiam, Tibeti, Mieni, Laiorum & Tonchini: veste vtuntur cuius modestia & collum, & pectus nunquam nudat ne manus quidem extra vestem ferunt, sed laxis pariter vt viri manicis inuoluunt, quin & virorum ab aliquo si quid offeratur, haud aliter solet quàm prius in disco positum, rectis manibus ab iis tolli. Pedes parui & teretes, quod ridiculum putes, formæ laudem, & palmam inter illas ferunt, hac similiores vxori Chec ante annos bis mille octingētos scilicet regnantis, quæ pulchritudinis nomine Sinenſium venus est habita, huius autem formæ præstantiam conciliare ars & manus cum valeat, quæ lineamenta & colorem non valet, pupparum iam inde à cunis, ita pedes fasciis adstringunt, vt cogen-dis in breuem lepidæ illius elegantia suæ modum dolores inurant vix vnquam sanandos; quod ipsum visi, primi moris huius inuectores spectasse, feminis scilicet domum seruandam indicasse, & quas domi honestas non teneret, dolore pedum teneri voluisse, quanquam & eadem honestas, vetat illas hoc decus ostentare cum sinus vestium nunquam sic colligant vt pedes inspicientium oculis retegant. Singularem hanc pudoris æmulationem, & reuerentiam, sequuta sunt matrimonia vt sic loquat cæca. Sponsi prius in mutuum conspectum non veniunt quam ad coniugis domum sponsa perlata sit, qui ne staturam quidem eius nouit, parentes vtriusque rem tractant; filiam parens, futuri coniugis parenti non exhibet; filiorum assensum neuter explorat, dissensum non timet, ne conscios quidem fieri curat eius quod agitur, & sæpe nascuntur aut coniuges aut fiunt à cunabulis sponsi, ad colligandas inter se familias maturandis affinitatibus; nec sibi partes auctoritatibus publicis, tabulis, aut testibus cauent, tanti est apud illos verborum fides: foter offensionis plena res, istiusmodi cautiones ab aliquo poscere quasi malæ mentis apertè suspecto. Aptam coniugiis ætatem metitur diuersus Prouinciarum vsus, qui tamen vbique obtinet ne sponsi, multum sint ætate dispares. Dos vxori, ipsamet vxor est sat diues si probè morata. Cæterum proba vel improba, coniugi obolum non affert; sic neque paternam eneruat domum, nec superbiendi pronam materiam secum porrat, insultandique viro de pingui dote. Viri paulo quàm nuptiæ parentur, argentum in mundum muliebrem ad sponsas dono mittunt, de hoc licet pacisci, verum inter homines mediæ conditionis solos;

inter nobiles arbitrium est pro ratione facultatum, & si mille nummos conficiant existimantur iusto plus donasse: quo vero die ducitur domum sponsa, munus hoc palam in oculis omnium præfertur, subsequente sponsa, quæ magno tibicinum strepitu, facibus, etiam de media die & comitatu amicorum, gestatorio obserato, ad virum deportatur, illic viro traditur sellæ clavis, vnde quaecumque repererit educit, nec prius sibi visum, nec si displiceat reicere integrum. Pauperes vxorem nummis emunt tribus, aut quatuor, alicubi etiam, si opus est emptam alteri vendant; cui nec tres nummi sunt, venum seipfos in mancipia dant eoque pretio vxorem & eius victum emunt, ceduntque deinceps cum vxore illa & filiis in possessionem heri cui se manciparunt. Hinc solent tenues vna vxore contenti viuere. Nobiles quàm multas optauerint ducunt, quarum præcipuam oporteat nobilitate parem esse; reliquæ sat est si placeant. Qua in re fortassis nusquam alibi auditum aut lectum sit, earum liberos, ne demptis quidem regum filiis, primariæ vxoris omnes esse, omnes ad eam lege pertinere, hanc vnam matris honore ac nomine prosequi, ex qua vero sunt nati, nec reuerti viam, nec flere mortuam. At ipsa mirum est, quàm sibi penitus in illos auctoritatis maternæ ac tituli plus nihil arroget, quam in veros filios matris familias. Immo fit subinde vt ex empta vxore ad familiam propagandam, suscepta proles matri familias sterili tribuatur, officio defuncta puerpera iterum vendatur. Dignus præterea commendatione quem impendunt Sinenles viduis, priuatim & publicè honor. Indecoras habent secundas nuptias etiam feminatarum ætate integra, & prole carentium; & raræ sunt quæ laudem voluptati; pudicas matribus postponant. Agant deinceps apud socerum ad mortem viduæ in spontanea arctaque custodia, nec sunt oneri domibus sed honori, quippe domos si consenuerint in eo proposito, illustant triumpho & arcibus quibus laudatione magnifica incisa marmorì celebrantur, iam Sinenfium virtus, de qua hic sequitur agendum, quod satis intelligi non possit, nisi rituum vsu generatim saltem exposito, necesse est de his aliquid præmitti, cum hinc elucidari multa oporteat quæ sunt sacris in rebus non satis perspicua. Illud imprimis parum liquet, sintne hi ritus ceremoniarum inter gentis laudes aut vitia ponèdi. Nam vt fingi nihil possit orbe toto ciuilius, seque Sinæ haud falsò vrbانيتatis regnum vocent; aliunde minima quælibet, & quotidiana, onerare haud parciùs vrbانيتatibus, quàm sacra solennia ritibus, perindè videatur vt suffitu vehementiori hominem præfocare, qui moderata eius fragrantia fuerat oblectandus. Certè hanc rituum intemperantiam non irident solum Europæi; dolent eandem Sinarum sapientes vt quæ sit communis, & remedio carens amentia prudentiæ nomine & præscriptione sæculorum necessitat in legis nacta à cuius apicibus seruandis ægrius, quàm ab homicidio auertantur. Itaque toti sunt in decenti corporis brachiorum, manuum, salutationum, proclinationum fingendo ex arte, & regulis ad vrbانيتates motu,

20.  
Vrbانيتatus  
salut. visendi  
&c. officia.

motu, statumque & habitu, ne quid iis excidat, parum maiestate, aut elegantia conditum, vel minus tempori & personis aptum, quibus inaniis cum dies solidi condantur, capi vix potest qua patientia viri graues, tam lentas, & crebras adeuntium proclinationes, stando excipiant, nec enim à festinantibus peraguntur, sed otiosè, ac velut enodandis euoluendisque sensim membris è machina quam gerant in pectore latentem: nec minus eius qui aditur motus omnes notantur, exigunturque ad formulas, quibus vario nutu se pati grauius eum honorem significat quem tacitus deperit, acerbissimè laturus, si quid illius omittatur. Quin & apud Præfectos pro tribunalibus, & ad regium thronum tametsi vacuum, præsto sunt rituum istorum dictatores, seu melius dicam carnifices, ita promiscuè ac dirè illos cædunt qui salutationes malè feriatas indoctè obierit. De singularibus pauca decerpamus. Subducto ut facimus pede humum retro modicè verrere; amplexantis speciem præbere, aut manum suam osculantis, velprehendentis alienam, non minus sit barbarum inter Sinas quàm apud nos tecto capite salutare. Caput aperite sic abhorrent etiam rege coram, & aliis; ut mori cedendum supremi Pontifices in eo censuerint, indulserintque nostris Sacerdotibus regmen capitis inter sacra. Salutationis obuiæ modus est, arcuata sursum ad frontem à pectore, plus minus brachia, prout salutato maior honos, aut minor debetur attollere, replicatis intra manicas interim manibus, suumque illud Zin sæpius iterando, in quod significatum aliud non cadit præter id officium salutandi, salutandum veto si peculiare meritum commendet, illa brachiorum sursum & deorsum alternatio iam inde incipit cum distat adhuc à passu vigesimo, sequiturque mox illam Zoie, hoc est altera reuerentiæ pars maior, sitque toto in arcum procliu corpore, fronte solo quam possit proxime admota, rectis interea iunctisque pedibus; manibus ut ante sed summum ad verticem elatis. Porro hic mimus vtrunque luditur vtroque ad Septentrionem verso, quamobrem aulas ita ædificant ut earum ianuæ austrum spectent. Quod asceticæ illorum modestiæ commentum arbitror, qua illas diuinæ suppetes adorationis dum proficetur alter ex officio se debere; fingit alter se illas auersari tanquam suis meritis maiores. Sibi vero qui gerunt magistratum cum sunt obuiam, exscendit inferior ex equo, vel gestatorio, & ludi quem diximus initium facit. Sed habent visendi officia lacinosius aliquid, & operosius, cuius tamen omitti absque grandi errore nihil licet quamuis illa tum stas temporibus, tum crebris occasionebus frequentissimè recurrant. Obitur hæc cerimonia vestitu cultiori ad hanc vnicè destinato, eum is quoque qui visitur induit. Aut si deprehenderit visens imparatum, vestem ipsamet hanc subito ponit ne aut illum pudore, aut ipse ab eo afficiatur iniuria. Cuius moris siue religio, seu delirium in vrbe ab opificibus etiam, rarique ab rusticis seruatur, & cui præsto non fuerit is ornatus, domi se fingit non adesse: tanti est vel apud bubulcos, decori ratio.

ratio.



ratio. Quare violatum contemptu se dolet, quem adierit improuisus; præuertendus est aditus libello per famulum; paginarum est duodecim is liber, auro & coloribus comptus pro gradu illius qui aduendus est; in promptu cuique sunt libelli huiusmodi complures, quòd aliis viri primarij, medij alijs conueniendi, & obsequij formulam, viris illustribus congruam, grandi charactere exhibeant alij, alij vsitato. Accedit tertius iam dictis reuerentiæ actus Pai vocabulo, non nisi domino à clientibus, magistro ab discipulis, Patri à filiis, Regi demum ab omnibus deferri solitus, Deoque ipsi ab adorantibus. Editur autem sublatis, vt descriptus in altum; demissisque mox ad imum brachijs, genuflexo utroque, ad solum fronte contingendum. inde se in pedes attollens saluator, eandem fabulam quater ad summum deinceps reponit, sed octies saltem coram Rege; tam lenta semper & languenti mora vt hora prope integra scenam vexet. Quòd enim sunt otiosius hi gestus, tollunturque ac deprimuntur magis, eò omni ex parte reuerentior est honoris significatio. Dum autem se miser illa disceciat histrionica veneratione, qui eam excipit vel parens, vel alius dignitate aliqua excellens, ex aduerso summa in aula stat aut sedet, & leui aut multa pro conditione inuisentis, brachiorum motitatione respondet salutanti; at si volet esse profasè comis in latus aulae orienti obuersum descendit, & fastu paulum deposito, corporis flexu probè illic noto & vario indicat placere simul delata obsequia, simul eadem ægrè esse, serui post primam genuflexionem, breuius sese expediunt, postque humum ter fronte percussam, ad latus heri alterum consistunt; in prospectu nunquam, nec nisi pendulis brachijs. At si domo vel absit qui visitur vel præsentis adesse non lubet, traditur famulo libellus quem reuerso reddat, censeturque hoc modo abundè exsolutum salutationis petita obsequium. Vt vero interdum domi negent se esse, appendunt foribus tabulam qua significatur herus leuare animum rusticatione, aut in bibliotheca domum secessisse, hoc est nolle tunc sibi molestiam fieri. Porro tabellas foribus & circum affigere Sinis est per familiare, & commodum, maximè inter Literatos, quorum est illis prima nobilitas, nomen ex domini exhibent, domum incolentis, magistratum, gradus, encomia quorum se mutua lubricatione libenter palpant; post datum amico, seu alteri accessum, datur in borealibus Prouincijs dextra, in australibus sinistra; in qua laboriosum, & longum negotium deferenda, recusanda, admittenda, statimque reddenda, proclinationibus innicem interueniendis nunquam in mutuum conspectum, sed in eandem cœli plagam; nec minus anxie sedendi ordo contenditur, (sedent enim Sinæ vulgato in Europa more cruribus nunquam humi decussatis) dominum inter & hospitem obsequio certatur; sedes saltem, si iam sunt posita, uterque tangit, obseruaturque diligenter vt sedes dignioris a pariete æquè distet. Esto vero, sint admodum tersæ, sed excutuntur mana volucris simulanter, collecta in pugnum

pugnum pro euericulo extrema manica ; ac si centum hospites fuerint, sigillatim omnes, idem euerendi pulueris officium repetunt, domino quidem minimè abnuente, sed cum aliquo taciti pudoris indicio quod tantum honoris deferant immerenti. Sequitur inter hospites pugna de sedendi loco, quam longum sit scribere, spectare molestius : paulo quàm omnes confederint, adsunt cum scutulis & Chia famuli (quod est è siccis quibusdam folijs decoctum mirè ad stomachum & delicias faciens, de quo aliàs à me scriptum ; si producit in longum sermo, Chia bis ter-  
 vè repetitur, debetque, vt alia omnia, manu vtraque sumi, & rusticum putant altera solum vt. Postremo discessus, & pauci ad fores ab intima aiala passus, tam crebris proclinationum minutis, & fictionum pugnantium fatigantur vt credatur iam nouum Chia non ad comitatem, sed lassitudinem propinandum. Huius demum strophæ vim facit potissimam dominus, nolens ab se prius amittere hospitem quam illum in equo aut sella videat, contra hospes per quicquid est iurans, mundum prius in chaos rediturum, sudansque tam diu, vt cogat dominum post gestus inflexi deorsum corporis complures (quorum nullus responso suo caret) secus ianuam tantisper se abdere. Nam vt victor hospes equum inscenderit, prodit illico iterum dominus, & clara voce vale dicit; quod vtrunque sæpius iteratur tandemque post paulum seruos inuicem mittunt, qui mutuas gratias humanissimè exsoluant. Sunt in  
 missitandis quoque munusculis Sinenses tum crebri tum minutius vt-  
 bani. Præmittunt libellum destinata missilia stylo admodum civili præ-  
 ferentem, sunt ea ferè exigui pretij, sed multa, & varia, licet cuique  
 admittere omnia, vel selectis quæ placent reuicere cætera, sed hac lege  
 vt tantumdem remittas, quantum acceperis, vt permutare potius quam  
 dono dare videantur; solent & pecunias pro munere mittere; sed parce  
 oppidò, mediam aut tertiam nummi partem, cui addunt gratiam ver-  
 ba pauca eleganter concepta, sunt enim ciuiliū & elegantium ver-  
 borum prodigi, cætera præparari, nisi quod modum in dandis conui-  
 uis excedunt omnem, tametsi sumptuum in iis nulla sit cum infinita-  
 te cetimoniaturum proportio. Præter stata per annum conuiuia, quæ ne-  
 fas est ab vllò prætermitti, captant minimas quasque illorum occasiun-  
 culas, quales nouæ lætitiæ testificatio; gratiæ, ob itinera visendi offi-  
 cii honorata; benevolentia; dandi capiendive consilij commodum; aut  
 quæstionis alicuius de diuinis, de gubernatione, de moribus simul  
 agitandæ, nihil enim grauius nisi super epulas decernunt, quibus in-  
 dulgent ita moderatè, vt nec mentem retundat copia; & potus fre-  
 quentiâ, sed perexigui eandem acuat, fauetque nox iis symposiis desti-  
 nata, & horæ quatuor aut plures placidi otij ad tractandum quietè  
 quodlibet argumentum. Sed sonorum & vocum symphonia laxatur  
 subinde contentio, & graues comædi intericiuntur, imò adsunt sub-  
 inde inuocati, vbi notunt cœnam solennem præberi: sua nisi apud ple-  
 beios, conuiuis singulis mensa est, aliquando & duplex apud opulen-

21.  
Missilia mu-  
nerum.

22.  
Conuiuia.

tos, sesquibrachio longa, vno lata; cibus apponendis altera, secunda fumendis. Cum enim secundis ferculis locum non faciat priorum amotio, accumulati primis secunda necesse est, quæ fabrefactis ex argento, & auro constructa lancibus, & pretiosissimæ porcellanæ, iucunde oculos oblectant. Mappæ illic viles, & nusquam vsui, mappis quibusvis pulchriores sunt mensæ picturis illusæ, & gummitione vernacula, quibus tamen appendunt ad ornatum vela ex auro & serico, Phrygionis opere belluata; quin & manteliis & cultris nihil opus, nec fuscinulis aut coclearibus, nec vlla manuum lotionem. Vt enim sunt nitentis peramantes, de mensa, digitis nihil planè attingunt, sed baccillis de auro vel ebore sesquipalmi duobus, medio indice, ori admouent cibos tam habili manu vt grana orizæ iis etiam colligant. Cibi verò omnes minutim concisi mensis inferuntur, semperque carnes comitatur piscis, sed paruis ob varietatem, & multitudinem lancibus, quod orbis maiores mensa non capiat; orizam, & panem quia vulgo omnibus vsitata, idcirco conuiujs vsus ipse excludit, vetans quicquam nisi extra ordinarium admitti. Tantus est ciborum numerus vt quamuis lautissimè conditis interponantur quæ appetentiam suscitent, sed ea ferè pompæ seruiunt tantum; quis enim credat tam lautis ab epulis famem vt plurimum integram referri, esseque tunc cibi adeo modici conuiuas, vt si venissent ad cœnam spectandam potius quam edendam? carptim solum hinc illinc vellicant fercula, velut prægustantes, & de coqui doctrina laturi sententiam. Inde post paucas appositi buccas baccillis positis venit ad calices, facit enim potus cœnarum illarum summas delicias, quas vti sex & diutius horas bibendo durent intacto capite, nec debilitati ad magna & seria, caliculis bibunt qui putaminibus nucum plus vini non capiant, idque tractim & lentè sorbillando, admoto labris iterum & sæpius calice, priusquam illum siccauerint, nec vnquam vno spiritu potum ducunt, nec nisi calidum, ex quo existimantur id assequi, vt sint à morbis grauissimis immunes, quibus passim Europæi ex crudis humoribus & debilitate stomachi vexantur. Ad hæc indidem gaudent valetudine robusta, & longam non raro senectutem, vltra centesimum proferunt. Etsi vero ex vva minimè vinum conficiant, & caliculis potitent; tam crebros tamen & iterant, & sub exitum mensarum augent, vt cerebrum denique aggrediatur, & euerrat; non quod eos lex illa quorundam barbara compellat ad rumpendam potu, stomachi, virium & capitis mensuram, sed epularum hilaritas, otium, amici gratia, bibendi ius dicit ad ebrietatem, quam somni paucillum facile discutit, vini leuissimi vapore, breui tempore dissipato: tandem comitates huiusce theatri legitimæ ad vsque plausum à prima inuitatione (quæ nisi fuerit tridæana, pro nulla est,) tam multæ sunt, toties repetuntur, vt malit vir sanus discrucitari mala siti, quàm illorum tormento rituum ebrietatem emere apud Sinam. At his Sina tantillum si desit immani se barbarie damnet, nec dignum in posterum quem omnes

nes ingenij merito mirentur nationes in excogitanda nugarum similitum nouitate, cui etiam publica & necessaria postponit. Magis consentaneus rationi ritus Parentalium multiplex idcirco hic à me, tum gratius, tum vtilius describetur: nulla orbe toto proditur natio, cui æquè sanctus parentum amor, & reuerentia, vt Sinis. Iuuenes legimus, opificij molesti distentos laboribus ex voto sibi perpetuum & seuerissimum ab carne, ouis, piscibus, & lacticiis imposuisse ieiunium, nullo dum viuerent festorum excepto discrimine, partim ad dolorem ex patrum obitu fouendum, partim ad eorum in pœnis leuamen; alios de brachij carnibus bolos aliquot dentibus reuulsos in medicinam ægrotæ parentis vltro contulisse, seu carne sana curandam putarent ægrotantem, seu testatam vellent, se morte propria, parentum vitam cupidè redempturos, cuius intimi amoris quotidiana sunt, & ingeniosa filiorum exempla: nec forte à vero aberat ex nostris limatissima vir sapientiæ diu illic moratus, longæuam illam Sinensium vltra centum annos ætatem & prosperam, illorum in progenitores pietati à Deo reperiendi. Patris ergo & matris sacrosancta sunt iis nomina, & eum magnam partem à Deo nihil sperent, quicquid boni solent in hac vita optare, prouenturum sibi confidunt ex illa in parentes teneritate ardentissimi affectus: libri eorum veteres nihil sapientius inculcant, nulum Literatis eloquentiæ ostentandæ frequentius & plausibilius argumentum, quàm de parentum dignitate, & filiorum in eos officij; quæ planè à verbis haudquaquam dissident, nam quibus deos suos, iisdem honorum certimoniis parentes venerantur: iis nunquam ore aduerso assident, verum interius ad latus. Præfecti & Proreges, quæ summa illic felicitatis est, magnis laborum, & operum meritis id affecti, bona regis venia magistratum deponunt & patrias, domosque repetunt, vt decrepitos parentes, famulari ministerio per se ipsi iuuent, quæ illis missio facile ab Rege conceditur, plurisque fit probi filij egregia in Patrem caritas quam Ministri supremi ad publicam gubernationem perspecta præstantia, immo apud regium tribunal Sindachorum, quos Taolios nominant, si quis Mandarinorum deferatur gesti perperam magistratus, & loco ignominiosè in perpetuum mouendus, huic prona est ratio ignominie præuertendæ, vt supplici ad Regem libello, vitam in posterum priuatam roget, ad parentes morbis & senio graues obsequio, & consolatione subleuandos, refertque suam statim postulatio, ex voto rescriptum, & cognitionibus in eum omis- sis, cum laude optimi filij ad lares reuertitur, qui fuerat sua ob scelera probrosè loco deturbandus. Iam vbi de morte vtriusvis parentis acceperit, quisquis (militaribus exceptis) magistratu aliquo fungitur etiam Colai, quos habet Imperator à supremis regni totius consiliis, absque mora notas officij exiit, priuatulque in patriam redit parentaturus mortuo luctu triennali, quam legem nefas est à quoquam vitari: iter autem ingressum ad ferendam ægrotanti opem, vbicumque de

23.  
Parentum  
hon. incom-  
parab.

morte offendat nunciis, cogit eadem lex equo exscendere lugubribus indui, viæ reliquum, peditem explere. Nulla porro vel ætas, vel nuptiæ, vel susceptæ iam proles, à potestate paterna eximunt filios, nec ipsi vt maximè liceat, id velint, quin & liberis coram patienter à patribus vapulant cum quid etiam leue peccauerint: at refractarios latæ leges graui pœna castigant, digitoque monstrantur, velut infames, & execrabiles; nec finem huic obseruantia, & amoris mors affert, sed magnas potius accessiones addit. Tanti enim est apud Sinas sepulturæ honor, vt felicitatem posterorum, suamque adeo (etsi animum negent immortalem) ex eo aptam opiuentur, nec eum honorem etiam filiis exsoluendum faciliè committant. Quisque igitur dum viuic, & valet nihil habet antiquius, quàm vt sibi duo præ omnibus curet, Sarcophagum funeris, & locum; foretque seni vitæ quod restat intolerabile, cuius alteri mors crudelis quibus domi deesset funebris locus, & cogeret in tristes angustias superstes filius si compelleretur intra vnum diem ei loculo concinnando dignam suo in patrem amore materiam quærere: solent enim ad hoc multo diu labore ligna quærere ingentis pretij vel corruptionis expertia, vel ætates latura quàm plurimas, ex quorum tabulis crassitudine septem octove digitorum (cuius subdetur postea ratio) compingatur sculpaturque solerti manu conditorium amplæ laxitatis, quod gummitione aurea deinde illinatur, nec pecuniæ parçitur, & nummis centum, eiusmodi arca libenter emitur, qui mille in Europa facile penderent, emiturque non raro ipsa magis opinio quàm materiæ dignitas, augent mendacio pretia callidi mercatores, fingunt ligna longinquis eruta montibus, & sumptu, immani subuecta; quo pluris Sarcophagus steterit, hoc pretiosius asseruatur, & quidem in ipso cubiculo vt intuentem consoletur. Iam sepulcri locum, necesse est augurato legi, in quo mirè ludit ariolorum vafrities; nefas est quenquam intra vrbes condi, & miseri ciues qui cum mortuo degant; rura, & syluæ, maximè pineta sepulcris leguntur, peculiari autem studio decliua montium, sub horum radicibus superstitio antiqua fabulatur dracones (regalem bestiam & Sinis venerandam) longitudinis immensæ accubare, posterorum successus prosperos inde potissimum expectandos, si locus sepulcri, subiecti draconis capiti, aut cordi seu alteri parti respondeat, in qua inuenienda multis ab ariolo fortibus sudatur: fortunatus vero cuius in agro pronunciabitur draconis illa pars latere, etsi enim desertus & sterilis, emetur nihilo vilius quàm si grandem Thesaurum occultaret. Aquosa, ventis exposita, aquiloni obuersa, sepulcris infausta sunt, planiora itaque attollunt, vt nihil aquæ in iis hæreat; aperta muniuntur, præsertim à Septentrione, è terra nusquam extant, sed altè depressus excauatur, & validus fornix, iteratoque gummi sic accuratè induitur ne qua illuc penetret aquæ stilla: cinguntur & arboribus viriditatis perpetuæ sepulcra, cohonestantur adstructis Palatiis in quo aulæ Eunuchi

24.  
Sepult. cura  
incredib.  
& luctus  
&c.

nuchi, profusione sumptuum omnes vincunt. Ornantur hominum stautis, & animantium, & quicquid potest in defunctum honorificè memorari, eleganti stylo lapidibus inciditur. Mortuo parente filius subito doloris impetu, direpto lecti sipario cadauer inuoluit, nodum capitis soluit & capillos promittit, famulos propinquis, & noris destinat cum libello, quo patris obitum mœsta oratione nuntiat & deplorat; libello nomen non subscribit, sed loco nominis, suimet pro patre accusationem, verbi causa ille ingratus, ille proteruus, ille refractarius: adfuturis ad iusta funebria, vestitur aula omnis, rudi cannabe & alba, qui color mœroris est, & luctus. Hinc arte ac manu pollinctorum cadauer componitur; ac primum tribus ex multitudine tenuissimis fasciis adstringunt vniuersum corpus ipso cum capite, exertis solummodo brachiis; tum festis induunt quibus erat solitus pro anni tempestate, addunt honorum insignia quos gessit; inde in illa quam diximus capaci sandapila condunt, subiecta Tinzai copia, quod herbæ genus est maximè odoratæ; hinc inde puluillos sustinendis brachiis disponunt; arcæque quod restat vacuum, odoratis denuo ad summum herbis referciunt, clausæ tandem & clauis fortiter confixæ commissuras ne quid graue expiret, vt interius antea arcam omnem, ita exterius tunc picant, easque obducto venustissimo tænio abscondunt. Postremo aureis perspersum stellulis, idem feretrum primario loco in aula statuitur, erecta desuper ad viuum defuncti effigie, mensaque ad latus, multo cum suffitu & facibus: tunc patent agnatis, & amicis fores, ad exsoluendos funeri honores legitimos; fores ramali & fronde coronata suggerunt prætereuntibus, vt si vacat, assumptis funebribus veniant, & domum subeant. Triste interea & miserabile filij adspectus excipientis aduentantes; tumultuarium ad latus sandapilæ pro conclauis habet tugurium; pro veste, & pileo cannabem; pro calceis paleam, pro zona crassum funem, gyro duplici latera prementem, & habent rituum codices: suas pro variis conditionibus mortuorum, & affinium, lugendi formas, sed his filius quæ dixi, non toti dolori satisfacit, primam exigit noctem ad inum sandapilæ, neque tunc, nec diu postea somnum capit nisi ex matta paleari, musicis & spectaculis abstinet, nihil cibi per se, aut condimento iucundum admittit, maximè carniū quarumcumque; ne carta quidem vitur ad scribendum, vt mos est, coloribus variis prælusa, vetum aut pura, vel notis parentalium maculata; pro ampla sede ac splendida cuiusmodi solent habere pulcherrimas, sedili vitur incommodo, & vili, traductoque his & similibus afflictandi sui modis mensè vno, ab iis sensim residunt, & redeunt; demptis qui alteram profitentur sectarum quæ præter Literatos illic florent, hi partididio ne forte rei fiant, cæde animantium in perpetuum abstinent, quod functorum animas somnient in alia corpora migrare, in quibus forte patrem occiderent; vocati vero ad cohonestandum funus, quater totum corpus demisse proclinant, quater lente, & grauiter genua sic fle-

ctunt vt humi frontem ponant; addunt faculas, & odoramenta suffituum, & nauiculæ figura, cartas auro argenteoque illitas quas ibidem cremant, rati animæ defuncti repensum iri tantumdem auri veri, quo se aut parte nominum liberet, vel emat regressum in hanc lucem à custodibus subterranei carceris, hinc nimirum ereptam vagari, quærendo corpore matris cuiuspiam iam visceribus informato, sed adhuc va-  
 cuo; illud occupare, inde iterum nasci, ac si bona fors fauet in Literatum euadere, hæc ad exequias acciti & agunt & dolent, aut se dolere assimulant: filius certè sub aperto velo haudquaquam simulanter; mæstis inde miserè vocibus comploratio responderet feminarum, quæ se parte alia feretri, sub tentorio occultant. Expletis ritibus, deficienti similis occurrit filius discessuro, integratque illi quatuor genuflexiones, quibus ab eo totidem vicissim acceptis tugurij sui latebras repetit, discedentem ad fores deducunt affines mortui, cum actionibus gratiarum. Tenet hic vt minus triduum, concursus amicorum & propinquitatis: verum filij luctum pro parente nisi triennium non soluit, nec ante completur exequiarum totus ordo, trium nempe annorum gratia, quibus olim parens infantem filiolum brachiis gestauit. Seruatur interea temporis cum honore sandapila in conclaui, nec potest vt fabricata est & conglutinata, quicquam inde graueolentiæ expirare; nullus abit dies quin à filio visatur, & incredibili affectu procumbendo, vaporando, inferendis cibus honoretur, qui Taosis demùm, & Osciis cedunt, sacrificulis idolorum frequenter acciti solitis, ad cantus nescio quos, mortui manibus impendendos. Hic iam (quod magnoperè interst in his funerum ritibus ciuiles à superstitiosis rectè discernere, de quo præfidentior non nemo, quo pauciora perspexerat, hoc scripsit iusto, & nimio plura, cum offensione veri, & existimationis alienæ) in tempus aptius hanc ex proposito disputationem reiicio, modo antequam tempus humandi mortui appetat, magno molimine computationum & sortium, dies inuestigatur, & diei punctum, cui cæli aspectus beneficus faustitatem maximam spondeat; hoc à vatibus consti tuto, vocantur denuo quam possunt plurimi ex familiaribus, & propinquis, ad funus longo comitatu sepulcro inferendum: ad cuiusque aduentum eadem honorum, salutationum, obsequiorum quam exposui scena reponitur, quæ Sinenses nec vnquam fatigat nec fatiat. Indè procedit pompa, supplicantium in morem, pompam anteit turba tympanorum, tibiarum, & instrumentorum eiusmodi acuto cantu antes pulsantium, portantur elephatorum simulachra, & tigris, sequuntur illustrium & virorum, & feminarum effigies quibus veteres laudem præcipuam tribuunt. Post hæc pegmata machinarum aspectu insignium, castella & pyramides etuditi emblematis; mensæ partim multa odorum fragrantia pretiosæ, partim iusti conuiuij epulis; post hæc sacerdotum grex bene magnus suo quisque in cultu, & cantus symphonia ab Gregoriana haud multum discordi: sequitur longus amicorum, & propin-  
 quorum

quorum ordo, albo omnes pullati, tristi silentio, & luctu elaborato mœsti: postremo sublata in ferculum succollantibus ad triginta, & pluribus vespillonum effertur sandapila; proximè filij squalidi, emaciati asperitate luctus diu iam obiti, & quasi ad omnem ingressum defecturi, tot se lamentis conficiunt, vt raptari ad mortem, non deducere mortuum videantur, pompam claudunt, in sellis gestatoriis femina, velo quidem submotæ ab oculis, sed desperabundo vlulatu, & ploratibus aures omnium miserè lacerantes. Postquam lento incessu vrbe procul ad locum sepulchri ventum est, instaurantur cerimonæ, suffitus, cartatum incensio, funebres machinæ comburuntur, demumque infelix tumulatur, hi nobilibus exequiis ritus, aliis pro ratione personarum & opum, etiam aptantur. De funeribus regijs dicendum veniet in rebus anni 1614. in quas Reginae mors incidit. Mos est tamen quibusdam Prouincijs semiuustum cum sandapila cadauer, vrna pulcherrima claudere, & in altissimo fluminis alueo sepelire, vt hoc illi breue comburium, perenni aquarum refrigeretur lapsu. Hactenus virtutum honesta species, quæ Sinas exterius mirificè ornat, commendatque mortalium oculis; nunc de ingenio, eiusque præstantia primum in operibus artium, deinceps studiis literarum. Prius tamen notandum Sinenses quasi alterum per se orbem efficerent, à quibusvis aliis gentibus diuersum, nec peregrinari vnquam ad eas voluisse, nec eas ad se admittere, quo factum haud dubiè, vt rerum multarum cognitione destituerentur, quam ex mutua consuetudine aliarum nationum assequi potuissent; sed magna gloria sibi vnus debent artium inuenta quæ apud cæteros fere pulcherrima eminent. Imo, si rectè coniiciunt aliqui, debet Europa discipula Magisterio Sinarum, calcographiam, cartam, nauticam pixidem, tormenta ænea, & iis explodendis igniarium puluerem, quod mihi haud ita creditu facile videtur, cum artes quamplurimas Sinis penitus ignotas habeamus, ex nostratium prognatas ingeniis, à quibus nihilo ægrius excogitari potuerunt, quæ Sinarum inuentioni tam largè consecrantur; in Marco autem Polo, & Hairone Armeno lepidè luditur diuinando, cum iactantur, modo dictas artes ab Sinis ad nos transulisse quadragesimo ab hinc anno, de quo suppetet nonnihil paulo post. Sinas quidem in multis eximio operum artificio superamus, non quod ipsi tantumdem non valeant, sed quod vili mercede pretiosum laborem stultè vendi putent, quin & artificum peiores viris ferè principibus se locant, quorum est scilicet improbius soluendo parcitas, hinc peritiæ vim omnem clari opifices absumunt in adulteranda laborum suorum specie. Nam si forent sua operibus prætia, mira omnino essent præstituri vt produnt quoties sperata præmia ingenium acuunt; quòd factum ab iis cernimus, in coreumatis gemmarum, in auro tractando in sculptura crystalli, & horariis machinis quarum rotatam fabricam per se didicere ex sola attentè oculi disciplina; in perspicillis item ætati cuiuslibet & visui concinnandis, quorum olim materiam vi-

tream

26.

Artes & literas sibi debent Sinæ quas habent, nullis autem externis.

27.

De subtilitate manutij operis.



28.  
De ceris.

tream fingeant ex oriza, esto nostati tùm minus pellucidam tùm magis fragilem: ex opposito ceras perpurgant adeo exquisitè, vt eas perducant in excellentiam candoris eximij, nec modo vulgares ex apibus; sed sibi ex vermibus proprias qui in intra Sinus arborum coalescunt. Est & tertium genus, plantarum quatuorundam ex frugibus expressum, sed primis duobus deterius. Textendis in omnes pannorum formas Sericis, & omni colorum & animantium varietate figurandis adeo miri sunt, vt tramam eorum attalicam, Phrygiõis acum manumque existimes, in contrahendis dumtaxat corporibus & situ gestuque donandis, cum artem aliam præter iudicium oculi non sequantur, deformant illorum habitudinem partium mutuam, & risum præbent vel mediocriter in eo peritis. Certum quendam colorum subactum pingendo adhibent, olearium ignorant penitus, artemque, quod peius est, picturæ umbris idoneis frequentandæ, ac permiscendorum inter se colorum: suam tamen hanc seu picturam seu magis tincturam eiusque opifices suspiciunt quod ea in arte melius nihil norint. Scalpro illorum videri doctius nihil potest, eatenam interdum, eodem in matmore incidunt longiorem, mobilibus annulis perforatam, & eodem è saxo solidam, patientia haud minus pertinaci quàm mirè solerti, qua scalpendo excellunt: fundunt & statuas etiam colosseas, sed in quibus nihil laudes præter aurum quo illas decorant, cœtera ineptas. Monstrat Pro-uincia Honam duodecim statuas suis in basibus, ab annis vt ferunt mille octingentis, cuius opere nescitur, quanto artificio viderint, putant illas Sinenses diuinæ manus, non humanæ opus quod eorum nemo ad earum præstantiam accesserit, fundendo ducendoque ferro nos vincunt, præterquam cannis muralibus quas habent satis rudes, digna tamen ingenij laude si fuere illarum inuectores, vt & sulphurarij pulueris quem singulari peritia, & immensa copia componunt: testatur Matthæus Riccius, quod semel tantum magharum in vrbium duabus, absumi vidit in ignes ludicos quibus variandis peculiari pollent industria, potuisse apud nos triennali bello sufficere, agebanturque tunc noui anni festa initia, quæ sunt lætitiis similibus & sumptibus imperio vniuerso communia. Sinarum Architectonice suos quoque tenet eruditos statosque Canones & leguntur tùm apud antiquos illorum auctores; tùm reipsa cernuntur in magnis veterum operum monumentis, æmulantibus quidem magnificentia præcæ operas Romanorum, sed multitudine longe vincentibus, dictum haud pridem de pontibus, non sine admiratione, palmare aliud Sinarum opus sunt turrium moles, vel ad mittendam in longa secula, heroum memoriam, qui virtute, licetis, armisque claruerunt; vel ad vrbium ornamentum; vel cuiuspiam simulacri, venerationem, vt duæ ingentes ex marmore altitudine perticatum centum viginti sex quæ templum idoli Pes vtrimque fulciunt: nec tamen confetti cum iis possunt quas publicè vrbes ædificant, velut malorum amuleta, & fatum ciuicæ faustitatis, dum

29.  
Textura &  
phtygion.

30.  
Pictura.

31.  
Sculptura.

31.  
Fusoria.

42.  
Architect.

33.  
Turribus  
admitand.

eo ponantur & loco, & momento; quæ sciens fortilegus pronuntiauerit ominata: illa hic omnium inlar sit, quæ Lincini vrbe opulenta Chiantonenfis Prouinciæ, extra pomaria uisitur, ea nongentos in cubitos octo frontibus assurgit, amplitudine ab imo ad verticem quæ tantæ altitudini respondeat: hanc testa porcellana exterius undique inerustat, anaglypha exornant semiextantia, & pulcherrima specie picturata; intus circumquaque, omnia speculum multiplex ex politissimo scitæque partito marmore, interiorum murum seu turris viscera scalæ diuidunt ab exteriori, quæ nouem per ambitum obeunt regiones in quas attollitur, in easque intercepto ascensu inducunt, patent hæc foris diuerso ab inuicem canone fabricæ regiones, vnum ædificij complexæ corpus omni ex parte absolutum; suas vnaquæque seorsum ostentat circum & exierit: coronides, peribolos, & elegantias; cuncta selectum marmor, & ferreis eratibus autatisque munitum. Sunt & suæ cuique regioni campana æra in concentum nutuum digesta, & crescit ab imo eorum numerus ad summum; cùmque omnem in partem spectent, quicumque flet ventus sonorum ex iis edit symphoniam, ac ne vager in alia fusius, extant in fastigio colossus ex ære fusilis, deauratus, Dei simulachrum cui turris sacra est, vix est toto in regno ciuitas, tametsi frequentissima sunt, quæ non aliquo splendoris huiusmodi nobilitetur ædificio, quædam vero etiam pluribus. Quod idem potest de palatiis dici quæ sibi olim iis in urbibus condebant Reges quas in sedem regiam legerant; & quæ fisci regij opibus fabricata, iisdem perpetuo facta recta rebusque omnibus magnificè instructa conseruantur: ægrè urbem reperias iis palatiis destitutam, quædam metropoles ad viginti centent. Tempia diis; academiæ Doctorum principibus, vni potissimum Sinarum magistro Confusio dicata; superbo paratu, absque numero sunt: triumphalium denique arcuum multitudo ingens, & Regum sepulera, miro artis & materiæ spectaculo visenda.

Domorum ædificatio nusquam ferè nisi ex ligno est: huic ab incendiis publici vigiles è speculis cauent; & si quæ emicuerit ciues ad opem ferendam excitant; pœnam capitis subit cuius culpa domum ignis corripuit: crebra tamen vrbes populantur incendia seu fortuita, siue à latronibus ad prædationem multis simul iniecta vicis. Scripsit qui aderat, Hanc eum regionis caput anno 1640. fuisse ab illa diuersam penitus quæ ante annos quindecim fuerat, igni scilicet ex parte consumptam sæpius, sæpius restitutam. Præter materiam domorum fragilem quæ illas de vita hominum metitur, subest quædam futuri apud Sinas sanè reprehendenda incuria; suum cuique tempus curandum dicitant; ventura, posteris curæ fore, fidemque illie Europæi difficile inueniunt cum aiunt nullas se habere tam malè compactas & materiatas domos quæ vnum saltem aut alterum seculum non æquent, multas verò annos, & quingentos, & mille. Nostra videlicet de suis æstimant, quibus construendis (præter illa quæ memorauimus æterni operis ædificia publica)

34.  
Palatia &  
ædes.

fundamenta non mittunt alia nisi quod diuturno verberere solum cogunt & solidant, aut si fururus est lateritius ædium procinctus, ad sex pedes circiter fodiunt, ex quo fit vt muri quibus ex latere suas vrbes cingunt, statim vt immauerit aquis solum, passim ruinam trahant, ipsique fornicibus tum subterraneis, tum editioribus abstineant, sintque admodum rari qui aliter habitent quam in plano; sea larum quippe laborem refugiunt, & ab earum pondere subiectis ædibus casum timent, quanto igitur in altum non audent, tanto se in plana latius portigunt, vt mirum non sit vrbes innumeras ad viginti miliaria complecti, cum præsertim ad ædes saltem nobilium & literatorum accedant horti, labyrinthi, viuaria, & huiusmodi ingeniorum laxamenta, etsi autem ex ligno, Sinarum constet ædificatio, nihil tamen ad normam architectonica doctius; pulchrius ad maiestatem, & elegantiam; ad usum commodius, aula capax nec vna; ordo conclauium ædibus congruus, lumen conclauibus vix vnquam ex foris, & compitis, immodestos censent fenestra prospectus, laquearia columnis imponunt; parietes suo illo gummi venaculo velut obducta crystallo illinunt, omni prius florum, & auium, aliarumque formarum varietate picturatos, colore nunquam intermorigo: quamobrem nudos malunt, plurisque faciunt, quam serico tectos, quod illic multo est vilius, sed appendunt his tabulas antiquæ manus, quibus summum pretium vetustas facit. Supellex reliqua omnisque ornatus ad æmulationem parium, ad oculorum ambitum & laudem plausumque officiosè visentium. Sed palatiis, quæ esse tam multo paulo ante scripsi longè est magnificentior dignitas splendoris commoditatis, & deliciarum, vnus illorum ichnographiam penes me seruo, ab eo descriptam, qui frequenter illic subierat, & perspexerat omnia diligenter; vnus ex icone licet cætera cogitare vt quæ vno fermè ab exemplo omnia ducantur, in quo palatium Sinenfis Mandarinum dum subiicio spectandum, mores vna illorum aliquos attingo laude sua dignos, de quibus postea explicatius dicendum. Imprimis itaque vastam ateam cancelli ambiunt, in quam iura poscentes conueniunt. Ingressis procul è regione murus tres obicit portas, media solis magistratu vel functis vel præditis seruatur; Literatis dextra; vulgo & militibus sinistra; sed qui sistuntur ad tribunal rei, dextra introgressi, sinistra exeunt, absurdo personæ opposito. Inducunt hæc tres eandem in aream, in qua patet austro obuersa ingens basilica (qui situs est optimus ædificiorum) illic Mandarinus, bis planè quotidie ad cognoscendas causas sedet: vtrisque ad latera excurrunt Ministrorum habitationes, quos in prouinciam veniens Mandarinus magistratui addictos inuenit; eosdemque successuro relinquit, cuius sanè prudentis constantiæ ratio alibi constabit. Sunt verò Famuli, Ephebi, Scribæ, Tabelliones honorarij perferendis mandatis, & nuntis, Apparitores, Satellites, Tibicines, numerosa capitum centum familia suis quique percommode mansionibus digesti. Inde ianua vna proceditur in aliam aream, vbi aula cogendo.

35.  
Palatium  
Gubern. &  
ritus eius in-  
colendi.

do publicis de rebus consilio, à qua cæteri omnes excluduntur: sequitur addicta priuatim Mandarinò domus, & ei quam duxit vndecumque mittatur familiæ; illuc subitur per aræ septum, capax & eximie ornatum. Hinc ne quis pedem extra limen ferat, nedum liberè vagetur; ac ne quis extraneus possit cum familiaribus colloqui, præfunt foribus custodes cum centum oculis, & totidem clauibus, ac seris quæ domino etiam prodeunte signantur; cum redit an saluum sigillum explorantur: nullus æquè carcer tam sollicitè custoditur. Vni quotidie semel fas est exire œconomò, sed statim redituro; Mandarinò enim postquam primò accepit adeuntes, legenda tradit œconomus emptu necessaria in illum diem, quæ vbi coemerit, mox domi claudendus se recipit, nec affatu quemquam, nec aspectu ausus conuenire: illa vero emit solummodo, quæ Mandarinus ad marginem probare se minio notat; nec potest œconomò vendi, nisi quod signauerit Mandarinus, vt cui debeat pars consueti pretij tertia remitti: empta nec foribus, nec fenestris domum inferuntur: nusquam enim patent quibus possit cum externis agi, sed versatili turricula, qualem habent nostri Parthenones. Quintum denique atrium extremo clauditur gyneceo, vbi solitaria femina, nihilo seuerius ab aspectu familiæ abstinent, quam familia ab externis; habetque hæc vltima Palatij regio latifundia hortorum ad omnem exulta, plantarum & fontium voluptatem, & solitudinis illius tam duræ leuamentum. Hæc paucis lineis, comprehensa Palatiorum descriptio quæ magistratu fungentibus attributa sunt Mandarinis, partim Leonum ad fores marmoreis statuis, partim dignitatis insignibus propriis, facile ab aliis primo intuitu secernuntur; sed elaboratis potissimum solerti opere turribus duabus ex quibus musici, variorum concentu sonorum prodeuntem foras dominum prosequuntur, & excipiunt redeuntem: habent enim & suam Sinenses sonorum & vocum musicam minimè inuicendam, longeque ab nostris, dissimilem & æquè nulla iis sapit vt quæ instrumentis & flatu editur, si tamen potest monotonum placere, nec vlla modorum conuenienti oppositione, ac varietate figuratum: centum audias cantorum turbam vnus eiusdemque notæ proflare sonum, & quod magis mirum ab audientibus plausum ferre velut ad editos è cælo cantus, quibus addi harmoniæ nihil possit. Facit hæc forte Sinarum ad genium musica, grauem, valdeque compositum, secus ab iis leuitatis damnanda si suauitates modorum sectaretur; quanquam nostris etiam cantibus eorumque instrumentis mirificè oblectantur, artem musicam illic floruisse docent vetera Confusij scripta: tradit hic summus apud Sinas viuendi, & regendi magister, carentem musica rempublicam, dissonam esse confusionem morum non minus quam vocum; sed hanc antiquæ musices gloriam vel ætas obruit, vel Imperator Cin, iussis qui eam docebant incendi codicibus, de quibus certius cum libro proximo, Riccius Nanchini symphonix regiæ cui intererat proferemus testem. Constat quidem ex

36.  
Musica Sina.

36.  
Ars & acus  
nautica.

historiis insularum quas Sinarum reges cum essent bellicosi suo imperio addidere, fuisse nauticam in summo pretio & laude apud Sinas, & si, quod magnete eximio abundant, verè ab auctoribus scribuntur, gnomonis ventorum fuisse Architecti, multum iis deberi ab omni humano genere; sed hoc satis qui prober, vel coniiendum saltem prudentibus præbeat reperio neminem; nam quod Marcus Polus nobilis Venetus ab Sinis potuisse ad nos acum magneticam deferri utcumque indicat, delatam fuisse nequaquam, imo ne quidem potuisse, si rectè anni subducantur. Albertus Magnus & ante Albertum, Vincentius Bellouacensis magnetis illius meminerant, multo prius quam Polus è Sinis & Haiton Armenus & B. Odericus rediissent, & profert vterque fragmentum scriptoris veteris quem putant non alium ab Aristotele, quamvis Arabem magis quam Græcum innuant verba quædam, textui illius reliquiis permixta, cuiuscumque porro is fuerit, certò necesse est Poli ad Sinas Haitonis & Oderici navigationem sæculis aliquot præuertisse. Ac magnetem fuisse nec ignotum Sinensibus, nec inusitatum ab annis bis mille septingentis (forte alios in vsus quam nauticos) mihi propemodum persuadet quod lego apud Antonium Goueam, in chronico vbi ab vltimis retro temporibus annos Sinensium legens; sexto inquit, anno Cini Vani, vnus ex primis regibus quos centum supra mille annos ante Christum ea familia protulit ex Nanchiao, quod & Chiaocum, dicebatur, hodie Cocincina, legati ad eum venerant, hos rebus confectis & iam in procinctu ad iterandum iter, vehementer angebat metus à recto aberrandi; quod vbi comperit Cens Cunus, Mathematicus insignis, summa præfectura, & prudentia clarus, iubens esse viæ suæ securos imposuit currui, in quo statuam locarat ligneam, protensum indicem nunquam australi ab linea morturam; quod erat ipsorum rectum iter, sic rutos & alacres ab aula dimisit, quod arte alia potuisse præstari non capio nisi beneficio magnetis, hinc boream, hinc austrum perpetuo spectantis.

37.  
Typogr. Sin.  
typi, literæ  
criptio, car.  
ra.

Typographiam item Sinensibus fuisse perantiquam cum viris doctissimis facile sentio, alij medio post Christum seculo, illic ortam volunt alij seculis ante ipsum multis; inde vero ad nos propagatam diuinant prope omnes, & magis cupiunt quam certis iudicent & probent argumentis.

Fiet id clarius si (quod necesse est) illorum sermo & scriptio quam distet à nostris ostendero. Primum ergo alphabeto carent, nec animi sensa iunctis inter se in syllabas literis, collectis in verba syllabis exponunt: character illorum quilibet, vox vna est, rem vnam integrè exprimens, vt solent Astrologi planetas, Chymici artis suæ repræsentare materiam, & distinctas operationes, quare tot sunt Sinarum necessariò literæ, quot voces; septuaginta millia quidam censent, alij octoginta, quamvis ad vulgarem legendi peritiam & scribendi, negent vltra decies mille sciri oportere, tametsi autem tot harum literarum non sit

fit absoluta inter se diuersitas, sed eas dum forma quintuplici accinunt & totidem prope spiritibus molliunt pronuntiando vel asperant, significationibus diuersis afficiunt; quod idem faciunt scribendo, variis vna eademque in litera ductibus; seu apicibus significata indicando, quæ debent iis pronuntiandis intelligi. Solet in exemplum adduci syllaba Cho, cuius pronuntiatio decupla, res decem repræsentat diuersas, & verba totidem quæ diuersis apud nos acuenda essent, vel afficienda notis quibus præscriberetur modus ea efferendi. Hinc tanta infinitas characterum, vt suis singulis vocibus possit attribui. Auctorem huius inuenti faciunt suum quendam Fohium quem & aiunt sibi Hoiantis nomen, hoc est Imperatoris arrogasse. Rem profecto quicumque is fuerit grandem & mirabilem inuenit, siue tot millium characterum spectetur impedita & perplexissima delineatio, siue huius ars, & arcanus sensus, cum sit hic non solus arbitrarij calami ludus, sed præclarus ingenij labor sacris forsitan Ægyptiorum typis sublimior; at enim Sineses iis efferendis haud sunt æquè felices vt in describendis, vt quibus linguæ sit indoles ad varietatem sonorum parcior, quàm manus ad variandos characteres, & est nihilominus inter illas acutioris, & demissioris soni notas, iuxta quas effertur diuersi significati res eadem, discrimen tam tenue; tam exilis sensus, vt auribus opus sit ad hunc discernendum admodum delicatis. Sed linguam Sinarum hoc facit valde anticipem, quod multos diuersæ notionis characteres sono proferunt eodem, nec possunt omnino percipi nisi ex sententia dictorum, consequens eorum significatio ducatur. Hinc hæere interdum necesse est, etiam apprimè in lingua versatos, & quærere descriptionem characteris, qui dubia voce exprimitur, quod iis aut motu digitorum in aère, aut in vola manus, radioribus humi in puluere præstatur: vnde apud Sinas plurius semper fuit scriptio quam sermo; & Legationes, scripto semper non verbis obitæ. Inest autem Sinarum notis id commodi, ex arcano ferè illarum significato natum, quod à confinibus populis facile capiuntur, Coraium, Iaponia, Cocincina, Tunchinum, Sinaum quoque, Camboia & finitimæ insulæ iis vtuntur, ac licet inuicem patrium ignorent idioma; Sinense tamen legunt, proferuntque sua quisque diuersum lingua; sibi que inuicem sermone diuersos, & barbaros iungit eadem characterum forma, seque perinde mutuo capiunt, vt si vnã haberent linguam omnibus communem. Iam quotidianus Sinarum sermo, itemque alius (quem forenses dicamus licet, ab omnibus discitur, quod Prouinciarum omnium teratur vsu; sed est longè ab eo diuersus quæ in typos mittunt, capacior videlicet ingeniosi acuminis, & sensus heroici, quem committendarum literarum vis hieroglyphica suggerit. Voces omnes præter compositas, vnus sunt syllabæ, in qua multæ quidem leguntur vocales, sed velut apud nos diphtongi, vno simul efferuntur sono, vocem eandem modis, temporibus, casibus, numeris, (quibus carent) adiuncta quædam accommodant; sed de Sinarum lingua, plus

latis haftenus, de qua incidet peculiarius aliquid postea dicendum, scribendo penicillum pro calamo habent; pro digitis tribus prioribus pugnum, auriculari soluto & excluso, Hebraeorum more ad dextram à sinistra incipiunt, sed ducant à summo ad imum folij lineas, nec attramentum adhibent liquidum & fluens, sed ex oleifumo, & gummi concretum, exsiccatumque in lamellas vnius circiter digiti venustis impressas figuris; has ubi pingendum lapideæ tabulae affricant, quod derafum est, aquæ paucillo diluunt, indeque pro sepia scribunt, quæ vero pagina Typis destinatur, elegantissimo inscripta caractere (cuius laudem formandi mitificè ambiunt) in politissimum ex piro, vel pomo, asserem obuerso scripto glutine tenditur, ubi scalpro per tenuitatem cartæ pictos sequente caracteres, lignei formantur detracto circum, & intus ligno, quoad puri & nitidi è ligno Typi emineant, eum planè in modum quo figuræ apud nos excudendæ, ligneis tabulis inciduntur: quod præstant minori labore ac tempore, quàm nostri suos in paginam cõponunt Typos, & tam expeditè grandem ex iis premunt exemplarium numerum, ut tria millia horis duodecim excudant. Sculptoris pretium tam vile ut quinque paulo plus assibus trecentos absoluat caracteres, et si multa implexos ambage linearum, & apicum: ad libri auctorem, redit Typis incisa lamina lignea, quòd is suo ære, illius pretium, & scalpendi operam soluerit. Est etiam aliquo in vsu lithographia, seu Typi lapidei, sed iis quos dixi ligneis planè oppositi: ex iis enim albus ducitur character, quod depressior suâ areâ eius Typus, intactus ab sepia maneat aream tingente. Ego præter ductas ex iis Typis scripturas, habeo folia nostris quadruplo maiora, hominum figuris, foliorum & arborum, & istiusmodi ludis imaginum, nigra in area sic albis lineis, & tam subtilibus depicta, ut omnem & patientiam & industriam vicissè Typographus artifex videatur: & hæc quidem Typographia Sinarum vel in hoc nostra deterior, quod minutissimo caractere ingentia opera breui spatio claudimus, illi nisi lato non possunt, ob amplitudinem literarum, quas multitudine, & varietate linearum, & apicum coguntur variis significationibus aptare. Chartæ item nostræ candor & densitas, eorum charta longè vtilior quæ licet foliis magnitudinem æquet linteorum, sed ita flaccidis, pellucetibus, & subnigris, ut vtraque ex parte imprimi non possint. Arunt quidam ex serico, ex gossypio alij, nonnulli ex medulla cannarum, & arboribus confici; sed iam à pingendis, premendisque literis, ad professionem illarum gradum faciamus; qui summus apud Sinas nobilitatis, opum, dignitatis, nominis cardo est & votorum summa. Septennes vix pueri, characterum quos memorauimus significata iam ediscunt, tum eosdem in charta incipiunt pingere; ad hoc pagus quilibet, nedum vrbes, magistros habent filco regio authoratos disciplinarum grauiorum (incertum quamobrem) Academia toto regno nulla. Parentes aliquot inter se conueniunt, & commodo numero, sed nunquam grandi, erudendos tradunt præceptoribus, qui & iis ducendis

cendis Pædagogi fungatur munere, & sensim expoliat vrbianitatibus  
 patriis, in quibus illic tantum momenti reponitur: iis in scholis quam-  
 diu educantur, prohibentur omni planè ludo, graui prorsus nugacis  
 ætatuæ cruciatu. Nec verò facile ab Sinis, nisi primoribus luditur, &  
 sunt formæ ludorum tam ingeniosæ, nihil vt tale cernatur in Europa,  
 vt missos faciam reliquos, eorum latrunculi ab nostris plurimum dif-  
 crepant, Rex vltra passus quatuor non procedit; duo illi semper, hinc  
 & hinc assident consiliarij; nullus ibi feminæ locus est, ne ficta quidem  
 & ludiera palam toleratur; quadris ritè trecentis distincto vtuntur al-  
 ueo, in iis calculos alter centum digerit candidos, totidem aduersa-  
 rius, sed nigros: interrumpendi sunt hostiles manipuli, qui hostem  
 campo prorsus extruserit, victor est; quod minori quam horæ spatio  
 nequaquam conficitur, noctes eo in ludo solidas trahunt Literati, sunt-  
 que in pretio qui eius artes docent, foliis non ludunt, nec aleam iaciunt  
 nisi viles, & mediastini: pueris vt ludo minimè arcerentur, inest ad lite-  
 ras is ardor, qui vltro ad illas eos rapit. Festos Sinis dies præter qua-  
 tuor non legi: solennem præ cæteris primæ lunæ annique ipsorum exor-  
 dium, quem ad plenilunium perducunt; excipiuntque altero quem vo-  
 cant Laternarum, ob gestientis laticia publicam ostentationem, quam  
 suo quisque iocoso pro genio edunt, figuris luminum domi forisque  
 variè accensis. Lunæ tertie festum functorum honori celebrant tertio  
 eius die, quartum fluminibus Luna quinta; Lunæ ipsi quintum, se-  
 ptimo eiusdem septimæ Lunæ die. Præter dies hos paucos, nulla toto  
 anno ab scholis & studiis quies, etsi plures nobis quotidie ijs horas in-  
 sumant. Superiores eorum facultates, miror magis ob illa quæ sciunt,  
 quam ob ea quæ nesciunt video: debent id quicquid est quod norunt,  
 suo ipsorum ingenio & inuentioni, furto nihil, aut aliarum gentium  
 labori, quo si vellent ditari profecto, quanto nobis nunc subsunt, tantò  
 altius eminerent. Præstant enim nobis felicitate ingenij, & studendi  
 assiduitate; sed vitæ pars bona iis abir, in characterum arcanorum in-  
 finitate cognoscenda; quæ plus quam mediocri dum carent, non possunt  
 suorum magistrorum antiqua capere monumenta, laudem alioqui ex-  
 cogitandis nouis promerituri egregiam, qui discendis diu pridem in-  
 uentis consenserunt; quod ne gratuitò iis à me præstitum videatur na-  
 turæ primum cognitionem quod attinet, excellere semper in astrono-  
 micis, ac si eorum annalibus fides, ante annos quater mille trecentos,  
 Cyclus quidam veluti solaris ab iis inuentus est, qui volumine anno-  
 rum sexaginta circumferberetur; tot enim annis seculi sui orbem desi-  
 niunt: historicorum Sinensium libros centum Nicolaus Trigaultius cum  
 patientissime legisset, ex iis Latine quæ scitu dignissima censuit, in Eu-  
 ropam tulit; inter quæ notat iam inde ab annis vniuersali diluuiò proxi-  
 mis, cœpisse Sinas cœli motus seruare, non per minutias fractorum  
 graduum, sed per integros gradus; iisdem historiis, defectiones solis  
 vltra ducentas legi, consignarique suo singulas anno, mense, die; sed  
 hora

Ludi. 39.

40.  
Festa & in-  
stitiū Scho-  
lasticum.41.  
Inuentio at-  
tium.Astronomiæ  
& mystic. nu-  
merorum.

hora



hora nequaquam; vt neque mensura digitorum, quæ lucem huic admissit. Ad hæc inuisarum eatenus stellarum, & cometarum notati multo plures, quam quot hinc pōtremis quatuor seculis Europæi scriptores enumerent; vna item solerti adiectione numerorum ad numeros, stellarum septem errantium, comperisse motus quos vocant medios, statuto epochæ interuallo, & anni mensura (quem diebus trecentis sexaginta quinque, & senis ferè claudebant horis) computando semper centesimis, quæ sexagesimis computamus, & æquationum tabulis quod residuum erat coaptando, quod forte illos docuerant Arabes qui annis retro quadringentis in Sinas cum Tartaris sese infuderant; ea demum illos numerorum scientia præditos ab inundato iam prope modum orbe deprehendo vt esset primis eorum Regibus, & Sapientibus solenne præceptiones de moribus, & regni arcana, numeris velate, ipseque hunc morem tam diu, per successiones multorum Regum quoad cœpit tædere obscuritatis illius ancipitis; extitisse vero tunc peritum hominem sapientiæ illius numericæ, qui eam clarè interpretatus sit, inde obscuritatis illius vsu iacuisse, vt factum videmus in Pythagoricis numeris: sunt ergo vtraque in Regia Pechini, & Nanchini, antiquissima organa facultatum astronomicarum quorum formam & modum vsuque, præstat hic à P. Riccio qui ea spectauerat, quàm à me describi. Anno inquit, 1599. Nanchino egressus, in montem conscendi, vbi Regis visitur Mathematica supellex, montis verticem planities obtinet, quam multorum capacem ædificiorum illic distenderant veteres iisdemque ornarunt: prostabant in ea ex ære fusa, Matheseos inuenta: operoso artificio exculpta: iacebantque ducentos quinquaginta iam annos sub aperto cælo, ab imbri & niuibus illæsa: in iis, spectanda præcipuè quatuor. Globus ingens & trium hominum complexu grandior, parallelis suis, & meridianis gradatim circulis impressus. Sphæra orgyarum diametro duorum, suo præcincta horizonte, circulorum vice armillis distincta duplicibus quorum intermedia pro circulis erant, gradusque signabant trecentos sexaginta quinque, sua singulos in minuta diuisos, loco globi terrestris, catapultariæ instar, canna, mediam peruadebat sphæram, perforata, flexilis, quamcumque in altitudinem mobilis, ad suspiciendas per eam stellas, & earum situs aptandos gradibus, quos ipsa indicabat: tertiam organum, Gnomon fuit altus quaternis ad quinque orgyias, Septentrionem versus longo impositus lapidi, cum adiecto circum eculeo, ad explorandum vt reor aquæ fluxu an plani eiusdem Orizon, & lapis superficiem; & stylus rectos angulos obtineret: cumque esset vtrumque distinctum gradibus, facile credidi notandis vrbis vsui fuisse, punctoque certius exigendo solstitorum, & æquinoctij: quartum denique prioribus vastius commisura erat planisphæriorum quatuor in vnam machinam, eorum diametere duarum fuit orgyarum; vnum ad meridiem vergens exhibebat æquinoctij orbem circulum; Meridianus huic proxime iungebatur,

nisi

43.  
Mathem. in-  
strumenta.

nisi quod poterat circumuolui; ut etiam tertium quod verticales circulos erectum referebat: gradus illorum notabant globuli ut possent tactu numerari; sua lingua Sinensi, singulis epigraphes inerant in quibus partis cuiusque explicatio caractere patrio legebatur, cum nominibus syderum octo & viginti, quæ in Zodiaco nostris duodecim respondent. Videbantur autem astronomica hæc arma fusa sub gradu & elaborata sexto tricesimo, atque inde Nanchinum ab iis translata qui essent eorum planè rudes. Vidi & Pechini his aded gemina, ut manus eiusdem possit labor censer, peregrini fortassis astrologi; quod fabricata sint cum Sinis Tartari potirentur, hæc de mathematicis organis Riccius, quæ vtraque in aula, ostentatio vna, & curiositas asseruat, nullo præterea illorum vsu vel pretio, vtilior multo Ceucuni Regula qui fuit Sinarum] Ptolemeus annis mille ducentis eo antiquior. Vixit is Tenfum in Prouincia Honana, quam idcirco Sinenses mundi iactitant umbilicum, quod ab extremis Sinarum finibus distet æqualiter, extra quos vix esse somniabant quod mundi nomine dignarentur. Monstratur illic hodieque turris, cuius in specula Ceucunum fama est noctes duxisse peruigiles, seruandis syderum motibus, ortu, & figura. Extat erecta ad perpendicularum Regula supra laminam ex ære amplam, Horizonti peritè coæquatam, certisque tum hæc, tum Regula mensuris consignantur, quæ sunt nunc etiam Mathematicis Sinarum commodæ, habent Sinæ duo istorum Collegia Pechini vnum, Nanchini alterum Astronomicis vtrobique egregiè organis instructi; noctes è turribus perpetuas vigiliant, & cælum mutatis vicibus obseruant, eequid nouæ flammæ, inuisi syderis, inusitati luminis, signive alterius appareat, ut hoc ad Regem mox perferant, quidve id portendat inter se statuunt. Horum item è calculo defectiones cœlestium luminum expectantur, quo nullum est vniuerso regno negotium grauius. De hoc ab aula cursores in Prouincias mittuntur, qui Magistratibus vrbium, diem, horam, adeoque momentum prænuntiant laboraturæ deliquio lunæ; iubeant ab ipsis, & sacrificiis idolorum, absque numero conchas, pelues, tympana & quicquid aliud altiùs sonorum & turbulentius streperum, haberi ad manum expedita, ut conspicati sydus obscuritate iam aliqua morderi omnem exerant instrumentorum illorum cantum, fragores, & strepitus, quoad astro sua redeat claritas; ad exterrendam, inquam, draconis ingluuiem, deuoraturi alioquin, & absorpturi lunam: at quanto id scilicet mundi damno? bardum planè, ac stolidum ignoratæ Astronomiæ timorem! in hominibus alias ingenio præditis, sibi que plurimum de cœli cognitione placentibus, quos adhuc Draconis fabula, & nomen latuerit. Sed hanc illorum ignorationem excuset grauior; nunquam boni viri, planetarum motus aut intelligere ipsi potuerunt, aut annis ab hinc trecentis quinquaginta, voluere ab Arabibus discere, nec habent qui norit, vna sphaera omnes, an pluribus voluantur; excentricorum, & epicyclorum peregrina sunt iis nomina, & quod hinc sequitur, igno-

F

44.  
Astronomi-  
ca Regula  
Ceucuni.

45.  
Mathem.  
Regis.

46.  
Defectioni-  
bus luminum  
quid agant  
Sinæ.

ta ratio, stationum, & motuum, quibus agi diuersis, & subinde contrariis videntur, ne durationes quidem præscire valent eclipseon quarum, ex solis & lunæ ascensu mensura ducitur, quin & fallit eorum algerismus in prædicendis illarum initiis, & quidem haud vna vel duabus, sed decem interdum tardiùs, aut citiùs horis; cuius in decursu operis exempla videbimus nimium luculenta. Non quod planè ignorent parallaxas, seu diuersos aspectus in defectibus diurni syderis, cum æquè à vero aberrant, siue illas contingat in meridiano, siue in vtrovis Orizontis extremo fieri: habent quidem eorum antiqui auctores canonem subducendi de spatio temporis, si ante meridiem, solem defectus luminis occupet; addendi vero, si post meridiem, sed neque is canon mensuram temporis præscribit, nec ipsi tantum potuerunt vt illam inuenirent, aut assequerentur eius causam; produnt illorum historia, quinquagies quinquies emendatas ab iis sui Calendarij tabulas errante semper in cæli motibus calculo; absoluta demum earum correctio PP. Adamo Scial, & Iacobo Rhò debetur: annis retrò trecentis quinquaginta, suscepta fuerat à Tartaro Iueno, tunc Sinis imperante, & Cosceucino commissa, cui parem non viderat illa ætas, ferturque nunc etiam à gradu nono, & decimo, ad septimum, & sexagesimum Septemtrionem versus, adisse singulas Tartarorum & Sinarum vrbes, ac poli vbique accuratissima obseruatione altitudinem emensum per gradus, & minuta, comprehendisse illam iusto volumine qui labor fuit annorum sedecim.

47.  
Solstitium  
Hibern. Si-  
nenses Astro-  
nomos regit.

Verum hæc, ne quid dissimulem, tam rudis apud Sinas cæli cognitio, illorum ingenia mirificè illustrat, quòd nullis muniti sciendi principiis ex quibus Astronomiæ canones, & abacos ducerent, demonstrationibus Geometricis respondentem, eò tamen suas obseruationes, mentis acumine promouerunt, vt artem ex iis sibi conflauerint, haud aliunde quàm à se inuentam, nec multum à vero aberrantem, cuius hic saltem vestigium, libenter opinor earum rerum non planè imperiti legent. Regulam igitur orgyiarum octo ad perpendicularum erigunt, in omnes partium diuisam minutias; vmbra notant quam in plano mittit, eandem pariter cum regula tributo in partes, & Orizonti coæquato, vmbra eius obseruant triduum ante solis hybernæ stationem; tantumdem, statim post. Punctum enim hoc solum satagunt certò statuere (vt primum arietis in verno æquinoctio solum inquirimus) inde vbrarum illarum extremis, adæquatarum cum aliis, postquam multas simul in idem incidere multis locis notarint, ex iis medium punctum constituunt (quod solstitij quæ sit sedes est) referuntque in diem, horam, & momentum in quod inciderit: quanquam vbræ tunc circa solstitium eò sint minus certæ, quòd ex solis propinqui ardoribus largius vaporantur; nec ipsi solis diametrum attendant, sed inumbratum regula lumen vniuersum, velut è medio dumtaxat solis puncto, seu centro progenitum spectent. Sic deprehensa est ab Sinis absoluta circuli mensura quem cæli

cœlum superius suo motu facit, & ex consequenti, annui cursus iusta periodus, & quæ, quanto sit hæc quam illa pro spatio temporis breuior; nam integrum solis per eclipticam gyrum millionibus definiunt minorum tribus millibus insuper sexcentis quinquaginta duobus, & quingentis septuaginta quinque, quorum ex anni periodo detrahunt quinquaginta, sed sunt illorum nostris imparia minuta. Vbi vero illorum Astrologi seculorum triginta remensi orbem aduertere, non semper in idem anni punctum solstitium cadere, solis motum constantem, se certis regulis comprehensuros putauerunt; verum illud motuum tam subtile discrimen cum sub sensum vix cadat eiusdem hominis ob eius æui breuitatem, quot eos Mathematici indagant, tot de motu hoc solis, eorum opiniones extiterunt, donec Colceucinus observationibus annorum bis mille inter se comparatis, pronuntiauit, minori spatio quam annorum sex supra sexaginta non posse solem vno gradu solstitium transgredi: sic ventum paulatim ad inueniendam de qua nunc etiam litigatur, præcessionem æquinoctiorum, quam Doctor Paulus, Sinensis, clarus Astrologus & sanctus, collatis quæ nostri Europæi ad annum huius seculi nonum & decimum de illa vulgarant comperit non multum à nostra discrepare: cœterum tam ardens Sinarum studium in stabilendo cœli puncto, mensuram omnium moderatore, & auspice, non vna incendit curiositas sciendi; sed horarum delectus in leuissimis quoque vel omittendis vel suscipiendis, in quo nullos putem in orbe mortales tam scrupulosè supersticiosos: ex vitata itaque radice aiebant necessario plantam omnem vitium ducturam, & perperam posito incipientis anni momento principe, vitari errores in reliquis non posse, futuraque non raro ineundis rebus ominosa & infelicia momenta, quæ fore benefica prænuñtiasset Astrologus; ob hoc Astronomiæ Sinensis cardinem in eo versari statuerunt, vt veram solis deprehenderent stationem, ex qua anni totius motus, & tempora certo metirentur. Quare nulli fas est tanto negotio manum admouere nisi cooptatis in Collegia Regia; multo minus calendaria concinnare quæ ære regio quot annis per totum imperium immenso numero sparguntur. Anni principium Sinenses à noua Luna ducunt, quinto Februarij proxima, seu nostro aquarij gradui quinto & decimo, qui solstitio, & æquinoctio interiectum spatium æqualiter scindit: eo die solem in signo constituunt quod Liecium ab iis dicitur, & rediuuium ver apud eos sonat; menses duodecim lunares annus censet, alios minores dierum nouem, & viginti; maiores alios triginta, & redit quinto quoque anno intercalaris cum residuo elapsi temporis, quo pacto solaribus mensibus æquantur. Dies hebdomadæ nobiscum ex planetarum numero partiuntur, quibus sua cuique sydera quatuor, tribuant in dies singula, quorum post octauum & vigesimum diem redeunt eadem vices, septenariis quatuor dierum exactis Diem repetunt à media nocte, proferuntque ad medium noctis insequentis: horas illi assignant tantum duodecim æquales, partiunturque illura in

48.  
Anni Sinen.  
principium.

49.  
Superstitio-  
nis horarum  
observatio.

centum particulas, & harum vnamquamque in centum minuta comminuunt, quorum millia decem, integrum diem conficiunt. Ad hæc horas numeris non appellant, sed vocabulis propriis & characteribus, obseruantque in iis potissimum tres, ingentis ob cæli constitutionem cui subsunt momenti: primam noctis mediæ umbilico, qua cælum putant fuisse conditum; alteram, qua formatam humam, tertiam qua fictum existimant hominem. Cæterum qui lecti ab Rege calendarios contexunt indices, id habent oneris, non vt iis modo adscribant diem vertentis anni primum; menses quibus sol vnumquodque signorum subiturus sit, & defectiones passurus luminis; Lunæ item aspectus, configurationes stellarum vagantium, dierum mensuram, & solis exortus, ad vsque centesimas horæ cuiusque particulas; verum iis etiam incumbit, vt faustos tum dies tum horas ab infaustis secerant, definiantque distinctè res vel ducturas ex iis exitus infelices, vel ab iis fortunandas, vt sunt aliquid ex Rege quærere, & ab eo rectè aliquid concedi; sacrificare, functorum parentum instaurare memoriam & honores, studere, vxorem ducere, lauari, vocare conuiuas, migrare in alias ædes, iter aggredi, mederi morbo, plantare, serere, quicquid demum terram, corpus, actiones priuatim, aut publicè attinget moliri, quorum nemo fas putet obnuntiante calendario quicquam suscipere, quamuis illa eius prognostica non de syderum aspectu, sed de nugis, aut incantamenti edita videantur; characteres decem anno attribuunt; elementorum quinque (tot enim numerant) singuli vnum significant; nexibus sexaginta cum nominibus horarum duodecim coaptant. Constellationibus octo & viginti postmodum assumptis quibus adest suus singulis planeta, diei vnus dominus: ex hæc tricarum farragine sua demum illa edunt oracula: quin ex affectionibus quæ Sol & Luna vaporibus imprimunt, & aspectu circum apparentium colorum vaticinantur maximis de rebus audentiùs quàm nostri ex nouis stellarum ignibus & cometis, vt cum eorum ex libris authenticis aphorismos referam, constabit. Et quidem hæctenus, nec plus vltra licet Astrologiæ vsus apud Sinas quàm ad concinnandas Calendarias tabulas, ad alia omnia lege vetitus fundatoris qui familiæ regiæ nunc quoque superstitis caput fuit; quod factu pronum videretur, vt ex quibuscumque ariolorum prænuntiis, nouarum rerum & prodigionum libidines in hominibus etiam plebeis orirentur, si semel animo concepissent, se ad sceptrum natali sydere inuitari: quod delirium nonnullos Sinarum Monarchas tragici theatri argumentum fecit.

50.  
Medicina  
Sinar.

Huic Astronomiæ Sinensis vitio, non absimile est vitium medicinae, quanquam miros cernat ex vtraque euentus experientia; nullis discitur scholis Sinarum medicina, tradunt illam suis filiis patres, magno vtiq; artis compendio quæ medendi arcana in promptu habet longo tractu annorum à maioribus explorata, & posteris hæreditaria;

ditaria; remedijs vtantur simplicibus, herbis ferè radices, cortices, seminum grana, & talia adhibent, ad curationem, quorum legunt impressas codicibus figuras & efficaciam, insistantque in his doctrinæ potissimum ac placitis Imperatoris quondam sui; nomine Ientij; in herbaria præcellentis, quem pro suo adorant Hyppocrate: quocumque porro accitit medicus, suam secum officinam portat, miscetque ipsemet ægrotò pharmaca, nec redit ad illum nisi denuo vocatus, sed ei relinquit integrum, cuiusvis si lubet, alterius Medici operam poscere. Missio sanguinis vix cuiquam præscribitur etiam ardentissimis febribus, sed exquisita inediæ, tam dura seueritas, vt nemini sat tolerabilis credatur: ægrotum dies septem, non raro & quatuordecim, subinde viginti abstinent omni proflus cibo: aquæ dumtaxat, quantum voluerit propinant, & de succo pyrorum aliquid ter quater quotidie; huius tam tenuis dietæ, fames in diem producta quartum & decimum, fratrem quendam ex nostris Sinensem, à morbo lethali restituit. Sed Europæorum op. nor ventriculis indiceretur parum feliciter. Hanc Sinæ Medici hæc parcemia adstruunt, si feruet olla, bullitque te inuito, ignem subducito; infundito frigidam; feruentem haudquaquam detrahit, nec enim detracta feruenti, bullire residua desinet, quo vulgari effato intelligi volunt non esse sanguinis ardorem immodicum venæ sectione, sed cibo subtracto & refrigerantibus retundendum, quod pronuntiatum quàm rectè aut secus accipiant viderint, qui curandi via planè contraria procedunt Archiatri; constat stylum Sinensis medicinæ mirabiliori sanationem exitu comprobari, ad quem dubio procul magnoperè confert, morborum peritia incomparabilis, qua longo vsu & studio parta, Sinæ Medicos nostros longo post se relinquunt intervallo. Puderet Sinensem Medicum ægrotum rogare quid doceat? quis morbi ortus, & series fuerit? foret hæc aperta vltroque edita ignorantia suæ confessio; seorsum ab arbitris seducit; arteriam tentat subtili examine, horæque in eo dimidiū attentè insumit, & nosse illum omnino oportet, valetudo quævis intestina quos edat proprios, & singulares arteriæ pulsus, qui corde cernuntur interprete, motusque illorum prout afficitur ciente, nam ex ea statim morosa & minuta pulsationum variarum indagine, comprehendit Medicus & ægrotò enarrat totum eatenus ab initio morbi cursum, & quæcumque exinde debeat expectare. Ita quidem ex arte Medici sapientes; longè aliter, longèque alij, quorum inter Sinas duplo maior numerus & æstimatio, quibus nomen si posset stultorum tribui, fraudulentia crimem vticumque in iis excusaret. Profitentur hi & senes decrepitos, & ætatis cuiusvis homines se restituere iuuentuti, & denique vendere immortalitatem; cumque arte fallendi quam faciunt, compellantur vagari perpetuo, & noui vbique, ignotique appareant, adesse se aiunt ex regionibus, quantum iis lubitum maximè longinquas fingere, & iam sæcula vixisse quot iis placitum mentiri, cui mendacio fidem, allinunt effrontes,

57.  
Venditores  
immortalitatis.

narratione prisca vetustatis, & prodigialium quos comminiscuntur casuum, iurantque se praesentes spectasse, tanta iis veri, ex singularibus adiunctis adiecta similitudine, ut rem pridie gestam referri existimes; calliditate hac impudenti, dementant stolidos perfidiosi lycophantae, sed ante stolidius inductione animi dementatos, qua tentur posse mortem depelli potenti antidoto occupatam, nec esse supra vim humani ingenij, si quem aut bona fors, aut sagacitas insolens iuuerit, ambrosiam illam reperire. Hac insania qui laborant, non sunt de luto & triuio plebeij, sed sapientiae ac literarum flos, iique tot numero, ut scribat ex aula Pechinensi, qui praesens cernebat, in illo totius imperij Literatorum concursu lectissimo aegre duos fuisse liberos ab hac peste, omnes in id incubuisse totos, ut quouis & sumptu, & perpeffione fierent immortales, nec mirum qui sapiebant quam maxime, delitasse illos tam maxime. Vitae nimirum post hanc alterius ignatis, beatitate illa opum & honorum contentis quam habent in Literatorum gradu multis partio laboribus, annisque repositam, optandum praeterea nihil restat, nisi ut illo aeternum fruantur, mortemque prius quam ab ea occidantur occidant: estque tam potens hoc fascinum, ut vel morte vel fuga promissorum, decies & saepius delusi, sperando tamen animum obstitent, quoad exhausti pecuniis, dum caecis forbitationibus, & praescriptis mortem arcent, in flore viuendi moriantur.

§ I.  
Chimica  
Sin.

Huic Sinarum dementiae comes est necessario altera, & desiderio immortalitatis bonorum cupido, quibus immortalitas si caret, praena est, saeuumque supplicium. Fingi animo non potest quam dira nummi fame, fornaculis, lucernis, catillis instent, infumentur cerebro, & angantur ad cogendum, & conglaciandum argentum viuum, non alio fere operae pretio, nisi (si cui suus felicissime labor cedat) adulterina quapiam dicitur lamina, nec ignem nec malleum duratura, vanaescente interea, in sumptus & fumos, sincero probatoque auro. Iuuat tamen deceptos centies, etiam tum sperare, ac dum certum confidunt quod nunquam experti sunt, experiundo falli, senescere, expilari. Annis ab hinc ter mille & amplius Sinas tenet blandae huius insaniae vetus malum, & suos memorant priscos aliquot sapientes & sanctos, qui tam alte in Philosophiae intima penetrarant sese, ut illius tandem Philosophici Lapidis in venam inciderent quae metalla mutaret, & pretiosorum animam vilibus inderet. Monstrant hodieque haud procul Puchiano Suciuenfis Prouinciae vrbe solitariam insulam, seu proiectam ex ripa in lacum linguam, vbi saeculis ante Christum quindenis, constaturae metallicae apud Sinas Hermes, cognomento dominij Hoantis folles suos inflabat Chimicos, aurariis & argentatiis focolis intentus. Hinc praeter codices Typis in publicum editos, circumferuntur absque numero manuscripti, horum sibi quisque Hoantis arcanum arrogat, quisque caeteros falsi, aut dubij damnat; denique hac histronia, & his lycophantis nulla toto regno merx vendibilior; foretque lepidum

lepidum otiosis frustrationes audire aut legere, quibus vaferrima hominum natio in auarorum stultitia passim ludit, nascituróque mox auro inhiantes, plenis foculos inter nugarum catillis diuites, emunctos marsupiiis, nec raro exhaustos deserit. Melioris ingenij Sinarum Poëtica, etiam aliquid ad mores confert: ea rithmis interdum solis interdum syllabis stringitur; nonnunquam legibus arctatur, quibus nullæ in Europa Poëtes angustioribus premuntur, ob statarum vocam quos exigunt sonos, tum similiter cadentium, tum allusionibus iteratis idem variè significantium: quod genus apud illos octauum est laudationis heroicæ qua prosequuntur amicos, præceptores, Literatos, inaugurationes dignitatum, & graduum, virtutes eximias, Philofophos veteres, & huiuscemodi semper ferè illis in ore argumenta. Floret quoque inter illos scena, haud scio an nostræ legibus adstricta; sed vix alios inducens præter maiores & antiquos, eorumque vt plurimum decora, quamuis etiam subinde dedecora, imo & dixerim nefanda, nisi magno probro inter Christianos spectarentur impune, & exhiberentur. Ex his Comediæ vel Tragœdiæ sint, spectatorum præcipuum, actores rogant quæ placitura sit maximè, illam optet. Ob hoc illi descriptas offerunt, spectanturque, pariter & audiuntur libidine oculorum & aurium tanta (nam vix nisi musicè recitatur) vt vel horis quatuor solidis minimè satientur. Historia sequitur quam multum venerantur. Sinæ, de qua hic esset agendum fortius ad explodendam spontaneam & stultam fabulam cui de veræ historiæ Chronologia fidem conantur adstruere capita parum sana, mundum nempe alias ab his nostris annorum ætates principio habuisse, & humanum genus ab alio fluxisse capite; verum, & nugis & fastidio superfedens; dico breuiter Sinensem historiam plus centum volumina complecti, (tanti numeri rationem edicam postea) magnam iis merito fidem eos præbere, quod nemini liceat historicum agere nisi quem ad hoc suffragia iudicum idoneum senserint, & stipendio regio auctorarint, nefas huic esse aliud in historiam referre quàm quod certo & liquido constet, exploratumque sit tot linguis, & oculis, quot sunt in toto imperio mortales. Quicquid posteris traditur per annos deduci non millenariis, sed Regum successione vitæque digestos, cautione tamen accuratissima, ne quod vni tribuitur temporis, possit vnquam cum ævo alterius confundi, quod est in nostra Chronologia nimium procliuè, dum ineuntes annos pro integris notat; & rebus duabus communes pro duobus censet. Sinenfis, annum quo quisque Rex moritur, eidem Regi addicit integrum; quocumque mente defungatur, nec inaugurati mox, annos successoris incipit fastis accensere, nisi anno proximè consequenti; duobus vero paucorum mensium defunctis nihil retum aut temporis assignat, sed eî tantum cui successerant anno eodem coronati. Ex hac itaque tam certa Regum & temporum serie, annorum summa conficitur orbis di-

lusio

52.  
-Sin. Poësis  
Chronol. &  
Historia.



luvio superior, septuaginta quoque interpretum calculo minimè abnuente, qui aliquot sæcula vulgato addunt; quin & conditi orbis metam, summa omnis Chronologiæ Sinensis, annorum millibus quinque supra triginta transcenderet, nisi eorum sapientes pro anilibus & fabulis ducerent quicquid extra illam quam diximus Regum suorum fidelissimam seriem scriptum est, quam à Fohio, illorum primo ducunt, anno ante Christum 2952. Cum autem Literati periniquè ferrent Chronologiam suam tantis curis exactam, falsi nihilominus à nobis damnari, quod insisteremus reuerenter vulgatae computationi, magno studio adlaboratum à Patribus in emendatione Calendarij Sinensis. Ex iis P. Giannadamus Scial eo creditu dignior quo Astrologiæ vtriusque tum Sinensis tum nostræ peritior, sub Iao Rege fixas notauit stellas duas ex quibus suum exigens algorismum, sequebatur, quod ferri nefas est, Iaum Regem annis octoginta fuisse diluuiio seniore, si vulgatae versionis Chronologia spectaretur; iuniorem vero annis supra quingentos octoginta quatuor, si septuaginta interpretum calculus placuisset. Prudenter tamen de Chronologia Sinarum vtramvis in partem pronuntiare abstinuit, præsertim cum ipsi nec satis inter se conuenirent, sed ne secum quidem vnusquisque & in ordinanda successione Regum, & temporum, immani subinde annorum discrimine dissentirent. Adde quam sibi vim nobisque pariter contendunt facere, vt suos annos cum annis componant Scripturæ sacrosanctæ, cuius qualiscumque attendatur interpretatio, ab hac semper Sinarum Chronologia dissidebit. Iam rerum successibus quas annales ij narrant quantum fidei debeatur, manifesta quædam mendacia sic probant vt sit fatuum planè centum illa eorum volumina clausis oculis sorbere: argumento sit vel vnum quod produnt, Iao illo quem dixi Rege, solem, nescio quo pacto, tanquam vadis allisum, decem totis diebus stetisse immobilem, creditumque mundo postremum exitium adesse, quod horrendis incendiis omnia arderent, quæ apud Sinas vera historia, non minus falsa est quàm verax est Deus, cuius verba sunt, *Non fuit antea nec postea tam longa dies. Non festinauit sol occumbere spatio vnus diei.*

Iof. 10.

53.  
Philos. Sin.  
moralis, &  
Confusius  
eius auctor.

Verum enimvero artium omnium & scientiarum in quibus Sinarum defudant ingenia, nulla est suapte natura præstantior, vel pretiosior ipsorum æstimatione, quam illa Philosophiæ pars quæ mores hominum informat. Hæc Sinense imperium fundauit, & partu gemino cum illo est edita; populis neminem corona, & sceptro inaugurantibus, nisi qui omnibus sapientia præstaret, sui que præ omnibus regendi potens, non minus virtute nomen regium illustraret, quam ornaretur eius dignitate. Quare omnis illorum de virtutibus sermo, sic etudiebat auditorem, vt expressis quoque illarum exemplis fingeret Legi ego Sinensis Chronici ex lingua patria latinam epitomen illuc scriptam, miratusque sum vitas Regum Præscorum tam illustres in  
omni

omni opere virtutis, nihil ut posset schola docere perfectius; qui ab instaurato post eluionem vniuerso cum per aliquot aetates vixerint ab simulacrorum sacrilegio intactas, & ducem adhuc naturam securas, morum disciplina vsuque praestantium virtutum, merito censentur potuisse salutem consequi, nec est quamobrem fieri possit damnationis in illos sententia, multo minus cur seros eorum posteros cunctis passim vrbibus liceat magno strepitu perterrefacere suppliciorum praedicatione quibus omnes maiores apud inferos crucientur, ipseque adeo, de quo nunc agendum, Confusius. Ut autem, quod solet vetustas parere, a primis Regibus degeneres fuerint, qui regno deinceps potiti sunt, sed tam infinitis temporum spatiis, nunquam regendo imperio adiuuati alios contigit nisi quanto in omni probitate doctiores, tanto celsiorem in aula gradum affectos, ut sapienter dixerit non nemo, Sinarum Reges si minus philosopharentur; philosophari certe qui Sinas regerent: qua de re paulo post in Reipublicae designatione; hic necessarium arbitror ad multa deinceps occursura, de Confusio disertè scribere, Philosophorum Sinensium Principe, ac totius imperij Magistro de libris ab eodem scriptis, aliisque tum antiquioribus, tum paucis coeuis, sed ab eo redactis in corpus integrum sapientiae Sinensis. Natus est Cei, in Prouincia Chiantonensi, seu in proximo illi vrbis monte, quingentis ante Christum annis, & vno super quinquaginta, dum septem in Graecia flourerent sapientes, Academia, & lyceum nondum in auras prodissent, annorum quindecim (quod tradit ipsemet, cepit verae virtutis inuestigare rectum iter, postque multas flexuum ambages, & fallaces vias, compertum denique iniuit, nec ab eo vquam fractus vel nauigans quamlibet arduo, asperove deflexit, quoad annos iam nato plus septuaginta gaudere in sinu licuit, profiterique nihil sibi virtutis, ratione monstrante dictari, quod non celeriter, facile, iucundèque praestaret, quo triplici ascensu, iniri creditur virtutis possessio, numeris omnibus absolutae.

Annales quidem illius aetatis recolenti, & constantem virtutis illius bis mille annorum & amplius famam, (quicquid dictum fictumve aliunde) profecto constabit, fuisse integritatis summae virum, saltem intra fines rationis diuturno studio perfecta, nec vni sibi tantummodo bonum, sed publicè vtilem, ad restituendam morum probitatem, quam dum vixit, exemplis illustribus, & doctrina insigni nunquam distitit promouere. Sit hic mihi pro teste huius laudis, Magistrorum veterum vnus quidam vel eius discipulus, vel aetate suppar, auctoritatis certè apud Sinas magna, eius stylus nobis forte nouus nec ita sapidus, sed sapientibus Sinarum communis. [Vide, ait, Confusium, totumque perspicue, caelo vndecumque comperies & terrae similem; ut hac sustinentur, illo teguntur vniuersa; sic ille spes omnium fundabat; complectebatur, tuebaturque omnes: assimilabat item quatuor anni vices, stato inuicem sibi ordine, tempore locisque succedentes. Solis instar fuit, & Luna,

qui duo planetæ mutuo, cominus eminus occurrunt sibi, & ab se fugiunt. Sic ille vbique mundo consimilis; vt enim rerum quædam infinitas, ab earum procedit origine vnica, & fonte, sic de mente istius hominis nihil non bonorum profuebat. Hæc ille de suo Confusio quas porro sibi opes scientiæ parasset idem refert. Cognitionem celestium corporum annis decem, post alias atque alias, dum nihil ei restaret aut intellectu difficile, aut longum: nusquam tamen seipso maior excelluit, quam in designandis virtutum ideis ad rectam priuatæ domesticæ politicæ rei gestionem necessariis, imò & regiæ dignitatis. Erat enim tunc Sinaense imperium in multa diuulsum, & dissipatum regna, & rebellione perfidorum ruptum ius & fides, cum summa potestas ad Cei spectaret familiam, si plus ratio apud illos quam violentia valuisset. Cum autem rarum sit multos rara virtute excellere, nec possint Reges nisi rara, & heroïca virtute muneri suo pares esse, hinc eorum complures, exemplo magis subiectos populos perdebant, quam recto imperio regerent; duobus quos idem Confusius celebrat exceptis: & iam eo vsque furebat mali vis, vt eorum qui publico præerant plerique Philosophi, regias exosi libidines, sua in rura secederent, iidem eorum domini, & coloni; solius Confusij vasta mens, & ardens tanto subire ponderi aua est quanta erat instauratio deformati imperij, & reparatio collapsæ gubernationis, & priuatæ virtutis lectis ergo discipulis aliquot, ex tribus millibus quos erudierat, cœpit cum iis regnum omne obire, penetrare se in aulas principum, eoque affari, attonitis omnibus, quod vit in speciem apud suos ciues dicendi rudis & agendi, tam sublime ad rerum quas docebat, & personarum maiestatem, stylam attolleret, vt cunctis principibus sui moueret admirationem, & reuerentiam. Et si autem huius quod moliebatur tanti operis palmam non plenè sit adeptus, sed eam induxit conuersionem morum ad omnem probitatem vt regni vnus ob hoc ipsi corona deferretur, si maluisset vnus optimè populos regere, quàm multos ad hoc Reges & Principes erudire. In hanc morum emendationem contentione infracta incubuit ad annum vitæ septuagesimum tertium, Sinas impleuit sapientissimis vitæ priuatæ, ac publicæ dogmatis; imperij gubernationem ex parte in aurea ortus sui sæcula reuocauit, honores decreuit parentibus tum viuis, tum fato suo functis. Discordes populos nexu strinxit tam arcto mutæ caritatis, vt quod habent fasti eorum veteres, regnum vnum, vnus familiæ instar esset. Expurgauit libros Priscorum Sophorum, damnatque in iis quod offensionem esse iuuenibus poterat, reliqua vtilia & casta in molem vnus operis collegit. Excitauit iacentes, suo puluere literas; Philosophiæ vsum defluentem, cœptumque negligi, loco reposuit pristinæ dignitatis. Relicta denique Sinarum posteris, Philosophicæ virtutis exquisitissima regula, vitæ suæ exemplis clarissimis expressa, moriens magnum sui desiderium populis, & vitis principibus reliquit: magnoque apparatu ab discipulis

lis est elatus. Sed viuit nunc etiam post viginti seculorum aetates eius memoria, & ea colitur veneratione, quâ Sinæ maiorem diis suis non exhibent. Nulla tanto in regno est ciuitas, sunt autem innumerabiles, in qua Confusius aulam non habeat, lege imperatoria splendide in Urbano Palatio constructam, siue academicum theatrum dixerimus, velut templum, illic in tabula grandibus literis depictum magnificè legitur eius nomen; vel fusa sculptrave statua manus eximia visitur: ad hanc mensè quolibet, redeunte Luna, orbemque complente, Magistratus omnes solenni habitu venerabundi conueniunt, & Literatorum pariter, excepto nemine, vniuersi gradus, (quod eiusdem quoque natali annuo seruat) quater coram ita corpus proclinant, vt fronte solum verrant; recitant illi encomia elucubrata ingenti studio, flores spargunt, odores incendunt acerris capacibus, ceruo, sericis pannis & similibus donant, quæ postea cremantur. Cum autem Reges qui post illum proximè viuere, excogitato illi nomine proprio & æterno, decreuissent illum *Magistrum Sinarum vniuersalem* dici oportere (quod regio nomine à quibusdam obtruso censebant præstantius) hinc fit quicumque aut Literatorum inaugurantur insignibus, aut in altiorem promouentur gradum, sistant se illi tradantque discipulos, eiusque doctrinæ assertores, nec tam proiectæ quisquam audaciæ vsquam sit, qui vllum ex tot Sinarum Philosophis non reformidet illi præponere, clarum esto doctrina, & moribus; sed ad Confusium tanquam solem obscurum, & luce defectum: eius dicta, velut oraculi, firma, ineluctabilis putantur, veritatis, & ne dubitationi quidem permittenda; eius autographa tam scrupulosè seruantur integra, vt iis edendis etrosos æuo characteres, mutare similibus in editione non liceat, nisi solum ad marginem adiectis, vacua interim versus plaga ad quem ij pertinent, vt ne vno quidem ambiguo characterè, sincera illius doctrina semper glorientur. Iere quoque in nepotes, meritorum ipsius præmia: impensis, regis liberaliter habentur, & auitam in iis sapientiam & virtutem, vtilitatésque regno allatas vniuerso Reges munerantur. Adde quod eiusdem familiæ caput sellæ ius habet, qua cultu splendido gestetur, transmittitque ius idem, in natu maiorem filium cum titulo Principis, & copia bonorum quibus dignitatem illam sustineat.

Iam hic tantus honorum, tam insolens cumulus homini delatus, vt non possit diis ethnicorum deferri augustior, prouum est, vt prima specie videatur esse sacrilegus, & esse talem iudicarunt quidam, alioqui prudentes, sed in rebus Sinarum nouitij: & hinc traducta societas, & impietatis execrandæ accusati Patres, quod coniuerent ad ritus eiusmodi, & conuersis ad Christum illos permitterent. Ad rem tanti & tutò securèque cernendam, itum est à nostris in consilium sapius, non duobus aut tribus, sed plurimis, Theologiæ quidem sacræ doctrina insignibus, sed in scientiis, ritibus, & historia Sinarum cognoscen-

54.  
Honores  
Confusij me-  
re ciuiles.

da viginti annos inter Sinas triginta, & quadraginta versatis; retractata est ab ipsis tota post ævum Confusij bis mille annorum Sinen-  
 sis antiquitas, institutio, mens, & vis originaria istorum rituum;  
 elucidatum eadem opera quid olim, quid tum quoque Sinenles de  
 Confusio sentirent. Postremò etiam consulti Doctores præcipui, &  
 Christiani, & Ethnici, ipsique adeo Colai, quorum est suprema post  
 Regem potestas, & auctoritas doctrinæ, hisque fundamentis stabilitum  
 est, denique quid & quantum deferri Confusio liceret, haudquaquam pro-  
 fecto ab illo dānandum qui vel dimidiam huius diligentia tantæ partem,  
 ferendæ ab se sententiæ præmiserit. Sed hæc accurata & longa deli-  
 beratio cum multos habuerit, & in Theologicis Magistros, & Sina-  
 rum iam sexagenarios incolas; & de fidei rebus lingua Sinica scripto-  
 res, sua omnes laude pro testimonio profert dignissimos; vnus hic  
 mihi omnium vice sit Matthæus Riccius, vitæ sanctimonia, & ex-  
 cellentia doctrinarum tum Sinenfium tum Europæarum, eam illic  
 adeptus venerationem, quam pauci ex Sinis, ex aduenis nemo, post  
 Apostolicos annorum septem & viginti labores, Regis dono magni-  
 ficè tumulatus. Hic ergo Sinenfis historiæ inuestigator mirè sagax,  
 sacræ potissimum, & in euertenda Sinenfium idololatria scriptor Theo-  
 logus mirè acer; in illa honorum multiiugi pompa, exhiberi Confu-  
 sio solita nihil inuenit quod iure damnaret, suæque in historia proba-  
 uit Confusum à Sinis haud alio haberi colique titulo quàm integer-  
 rimi, & sapientissimi hominis, cui reparata res literaria, & magiste-  
 rium virtutis in Philosophia de moribus excellens planèque singulare,  
 honores etiam promerita sint extraordinarios, nec aliis communes.  
 Historiam Riccij dum dico, hanc volo intelligi quæ falso fertur Ni-  
 colai Trigaultij nomine *De Christiana Expeditione apud Sinas*; cuius  
 nec auctor Trigaultius, nec è Matthæi Riccij commentariis vt falsò  
 quoque ibidem asseritur velut è schediis compilator, & structor.  
 Constructam enim à Riccio, Latine dumtaxat Trigaultius ex Italico  
 Riccij edidit; cum appendiculæ adiuncto, cui certè summam rem non  
 decuit cedere, in possessione totius operis asserenda. Quin & eandem  
 Riccius ad vitæ suæ finem tam integrè perduxit, vt præter eius mor-  
 tem nihil ei deesse videatur: seruamus in tabulario nostro Romæ,  
 eius autographum exemplar Riccij manu scriptum, cum aliquot eius  
 epistolis, quibus vernacula sua Italica idcirco ait ab se composi-  
 tam, ne priùs in Typos daretur, quàm Romæ foret censorum  
 iudicio approbata. Ego verò hæc mihi propterea ex officio vulgan-  
 da credidi, suum quidem vt quisque ius ferret, verùm præcipuè vt  
 discernendis de religione grauissimis difficultatibus, vsui hæc forent  
 quarum solutio cum ex certa factorum cognitione maximè penderet,  
 ad hanc aliud pondus infert auctor & testis Riccius vir sanctus &  
 insigniter doctus; quàm Trigaultius, qui annos non ampliùs duos in  
 Sinis moratus, vixque satis Sinicè capiens, & loquens, remissus il-  
 linc est in Europam ad quædam Prouinciæ illius conficienda negotia.

55.  
 Hist. Sin. à  
 Trigault.  
 editæ, aucto-  
 Riccius.

Huius partem itineris quam mari obiit, testatur ipsemet, se in historia Riccij Latine vertenda occupasse; imo nec eius opus est adiuncta historiae Appendix exigua, sed Patrum quorundam quos ætas, & rerum Sinentium diuturna peritia, ad hoc idoneos fecerat, de quo illorum vnus P. Nicolaus Longobardius disertè monitum voluit Aquauitiam, tunc Societati Præpositum. Nunc ad Confusium redeamus, cuius honores, nihil sacrum & supra hominem, superstitionem quod sapiat nihil habent, sed vſitatis apud Sinas vrbauitibus continentur, quas illis ab æuo dictauit studium, æquali Magistros cum parentibus honore & veneratione prosequendi: nam ad dignitatum, opumque fastigia, cum vna grassentur literarum & doctrinæ via; & Philosophiam quæ de moribus est, etiam per se plurimi æstiment, instauratorem defluentium literarum, & vindicem, reparatorem morum, & concordia publicæ, quibuscumque possunt grati animi ritibus venerantur; singularibus quidem, quia nemo illi par in hoc genere; publicis quia nulla pars regni eius beneficentiæ expers est; perennibus, & crebro iterandis quod perpetua sint quæ contulit imperio bona. Nec si sanctum etiam appellent à vero aberrant, cum eo nomine intelligere nihil possint, nisi quam solam norunt morum probitatem naturæ finibus circumscripſam, qualem fuisse Confusij Prisca omnia prædicant monumenta, cuique modi eiusdem honores accommodant, qui si penitus introspiciantur, non modo ab omni culpæ labe intelligentur omnes puri, sed ij præsertim quos magis habebat suspectos religio, vt est Sericorum & Cerui combustio; qua in re primum aduertere opus est, suos cuique populo ritus, & ciuilitates esse, & quosdam situ non magis antipodes, quam cerimoniarum vsu esse; aperto capite quempiam salutare apud nos vrbauum, apud Sinas agreste, & barbarum; Regis vacuam sedem prono corpore venerari, Sinis pulchrum, & nobilis aduersus Regem officij; nobis aut stolidum, aut forsitan impium. Rituum naturam, in ciuiles & sacros, non forma illorum, & materia diuidit, cum inflexione genuum, & thure sæpe Deus & homines colantur, sed institutio quæ certos diuino cultui dicauit, vt iis increatæ excellentiam naturæ, omnium fontem, potentem, & arbitram, omnium finem & dominam testaretur & profiteretur ab se adorari: hoc certè animo, occisus ceruus victima fieret, & sacrificium combustus. At enim donandi Confusio cerui nulla est ratio nisi grati aduersus Magistrum Sinarum animi; nulla comburendi, nisi ne fictè datus, & histrionicè videatur, si eum recipiat qui dedit: quibus enim Sinæ vitam debent aut victum aut vitæ commoda, solent vt antea diximus, apud illos beneficium profiteri, munusculo aliquo ad fouendam vitam vſitato: sic functis parentibus, dum habent domi eorum cadauera quotidie; post vero quotannis stato die ciborum copiam offerunt, quos permittant Bonziis absumendos; sic & Literati quicquid habent bonorum, & gloriæ, cum

acceptum Confusio ferant, reponunt tantis beneficiis, donorum vicem, quæ propterea igni tradunt ut à se omnino abdicent, nec ritus explendi gratia, simulatè, sed ex animo, & verè se dedisse testentur. Hæc mera Sinarum, nec improbanda mens, quam P. Manuëli Diazio, palam explicuit vnus earum Præses cerimoniarum, dies erat solennis, seu nouæ, seu rotundæ Lunæ, optarat Diazius, qui nostris præerat, ritibus interesse, ut posset eorum quæ ipse spectasset testis non dubius haberi: quæsiuit igitur ex rituum Præside illud cerui comburium, odorum, & panni Serici, cui bono? vtrumne ad sacrificium? an verò Confusium pro Deo vel semideo haberent? Cui vir sapiens, non esse Sinas tam crassos & stolidos, ut quem nasci vidissent, viuere ac mori, huic supra hominem aliquid arrogarent; nec adedò ingratos, & agrestes, ut cui omnium essent obnoxij quæ literarum præsidio obtinebant, gratum erga illum & memorem animum non proferrent: ecquid verò tanti iactura hæc esset, reularum paucarum incendium, ut eius integrè totæ essent cui offerebantur, non possent saltem in vsum alterius cedere? Pergensque Diazio confirmauit, à Confusio nec peti quicquam, nec sperari, quod reuera is homo esse, nec supra hominem posse aliquid putaretur (nam de hoc etiam rogatur Diazius) ex quo apertè liquet, nudæ ciuilitatis ritus esse quibus suum Sinenses Literati honorant Confusium. Nec tamen nostris propterea visum est, sat expedire Neophytis quod nulla satis vetabat ratio; abstinere illos à cremando ceruo voluere, ne quam sacrificij speciem præberent; at ij ne qua item præparcè sordidi traducantur, ceruum inter amicos diuidant, quicquid porro in Patres baccati sunt qui sacrilegij & impietatis illos accersabant, extorquere ab iis nunquam potuerunt, ut æternos ignes Confusium luete pro concione affirmarent, nec enim is strepitus aduersariorum niti poterat diuino monitu, quo spiritus sanctus certiores fecisset damnatum inferis Dei vnus cultorem, infensum idololatriæ, probitatis sequacem quam insita cuique præmonstrat ratio, & magnis virtutum dotibus præditum. Ergo nec saluum prædicare, quòd iis esset ignotum nostri potuerant, sed neque damnatum, voluerunt; quod nefas censerent id agere, prospicerentque inconsulti ardoris proiectam audaciàm non habituram alios exitus, præter sacrorum operariorum è Sinis exilia, & detertionem afflictæ Christianitatis: quod vtinam tum sæpè aliàs tum in Prouincia Fochignsi non foret nimis euidenter probatum. Pechini certè, fuit inter insignes Literatos, qui ab rituum tribunali libello supplici petiit ut pelleremur extra imperium, quòd essemus rebelles, & aliorum scelera, Literatis attribueremus, dum esse idolum Confusium docebamus, & cultores eius vniuersos cum illo pariter addicebamus igni sempiterno subterranei carceris: ac rescripto quidem illius tribunalis, libri omnes nostrorum subiecti censuræ, quæ nihil eorum quæ infectatus fuerat libellus deprehendens, accusationi finem silenti

silentio imposuit, sed periculo longè grauiori coacti sunt verbum exponere, quod in eandem Literatus quidam de Confusio sententiam male accipiens, librum scripsit aduersus fidem Christianam. Explicationem symboli Sinicè nostri vulgauerant, in descensu Christi ad inferos, narrabant ab eo assertos cælo Patriarchas quibus ante aduentum Saluatoris oclusum manserat. Cæterum nulla Confusij mentio, sed ex consequenti, interpretatus vaser teneri Confusum subterraneo carcere, (sic inferos vocant) fidem quæ hoc doceret Christianam auersatus, velut mendacem impugnavit: eam ob rem furori talium hominum, ne qua eiusmodi daretur occasio, carceris vocem mollire oportuit, tam acuti est sensus reuerentia Sinarum erga suum Confusum.

Eius tandem libros ad ea quæ passim occurrent nosse iuuerit quinam, & quales sint. Codices primum compilauit quinque, partim ex iis quæ elucubratur, partim quæ Prisci sapientes iidemque Reges: duobus historicis gesta complexus est Sinarum Regum lectissima, & aliorum quos virtutis excellæ & prudentiæ flos, posterorum dignos memoria, & imitatione effecerant. Tertio poësim, non fabulosam, amatoriam, inauem, mulcendis auribus tornatam; sed grauem Philosopham, documenta virtutum ex ingeniis hominum, populorum variis moribus, priuatis rebus & publicis ducentem. Quarto Philosophiam naturalem mysticis numeris comprehendit, & accommodauit fingendis moribus. Quintum cerimonis sacrorum prætexendis dicauit, & eomitati ciuicæ præscribendæ rituum Vrbanorum. Doctrinas hos libros appellant, nec fas putant illos impugnare, sunt & alij quatuor, sed longè his impares; vnus Suntij cuiusdam quem frater Confusij filium habuit, reliquos Mentius, Cautius, & aliis edidere, omnes magno doctrinæ politicæ ac moralis nomine laudatos, & multorum elucidatos notis, quarum vnæ solum sensu legitimo putantur illos exponere: certè Mentius de suo damnatæ doctrinæ principiis librum suum insecit. Nolim autem his voluminibus tractata sic accipi, vt modo & Methodo digesta opus conflauerint alia morale, politicam alia, definitione virtutum, & officiorum multiplici, partitionibus, & argumentis absolutum (dialecticam Sinæ, ac Rhetoricam ignorant, nisi quam illos natura docuit.) Constant omnia ex solitariis, & diuulsis præceptionum, & iudiciorum obseruationibus & sententiis, solo tranquillæ & exultæ naturæ instinctu conceptis, cuiusmodi solent præstanti homines virtute, ingenio, & experientia concipere. Stylus denique librorum, Epicteticus, non Academicus; nihil rationibus adstruit, sed velut ex notis planèque compertis, conclusiones solas habet quibus ed perringat animus quo illum Confusius destinat, vbi nempe naturæ imperus, nunquam rectum, & verum præoccupet, sed in omnibus sequatur; & quicquid interius à nobis aut exterius dicitur agiturque, proficiscatur ex imperio rationis, sibi tamen vni minimè consulentis, sed publico, cuius singuli pars sumus.

Sic

56.  
Libri Co-  
fusij.



Sic fore parendo fidelem subiectorum obedientiam, Magistratuuum iubendo auctoritatem moderatam; priuati cuiusque in vitæ officiis seruandis inculpatam virtutem.

Hic Sinarum Magister Confusius; hæc eius librorum auctoritas & fides tam religiosa vt nec syllabam in iis aufint in controuersiam trahere. Ex his ab infimo ad supremos, omnes se fingunt Literati; quicquid ascensu promouerint, contentionibus ingenij, & sciendi merito id debent, multorum examinum seueritate ad purum excocto, tam cæca & acri, vt nec odij vmbra nec gratiæ possit admittere; ac licet ad gradus etiam infimos literarum, exorbendæ sint illis difficultates omni opinione nostra, vsuque grauioribus, verum extra illos cum nihil possint sperare diuitiarum & gloriæ, ingenij viribus, & labore confisi sibi à se omnia pollicentur, & si minus in primis, aut mediis, in imis saltem subfelliis locum sibi facturos, nullus enim locus inter Literatos merito suo & præmio vacat, etiam infimus, & abiectissimus nobilitatem ab Rege consequitur, commeatumque rei familiaris in omnem vitam. Facit autem ad hos gradus viam accessu tam arduam causa triplex prima nouem librorum quibus solis eorum insudat opera, character innumerabilis, & varietate infinita linearum, distincta vocum significatio. Imaginosa vi opus est valida, vt comprehendantur, animo figuratum tot millia, sintque in promptu cum vsus est; nam omnes qui teneat, habeatque ad vsu quemlibet expeditas reperitur nemo: altera eharacterum diuersa inter se consociatio, nexûsque multiplex, ex quo velut musiuo, mira existit elegantia figuratorum sensuum, & expressiones eorum acres, & viuidæ; nos enim ex literis voces; illi ex iisdem sententias variè commissis integras componunt. Ad hoc egent sublimis ingenij viuaci acuminis, nec triualibus inuentis contenti, dictorum ambiunt generositatem, ornantque illam omni eruditione ab antiquis suorum historiis, Poëtis & Oratoribus petita; fabulas respuunt tanquam indignas prudenti homine, & recti verique ex falso mendicas. Tertia denique difficultatis causa experimentis continetur, quæ sui præbeant oportet qui ad gradus secundos literarum adspirant; ad hanc limati iudicij quanta firmitas exigatur mox edam: nunc imaginum artifex facultas; excelsi acumen ingenij; & exquisitus iudicij vigor; tria hæc ad magnam scientiam præsidia, cum ægrè in singulis omnia excellant, inde asperum euadit ad Literarios honores iter, ac tantum non inuium: triplici ad eos ascensu examinum scanditur, quorum quisque vt altior sic operosior; superandi sunt singuli probatione ingenij præstantis, contentione laboris in studendo, & quo nullum meriti fortius argumentum, competitorum victoria, quorum est quidem immensus numerus; at qui summum quod præstant assequantur paucissimi. Primum horum agonem vrbes omnes spectant, subitûrque veluti apud nos pro baccha laurea. Secundus pro magisterio, certatur solum intra metropoles:

56.  
Literatorum  
Sin. triplex  
classis quam  
dura Examina  
exigat.

poles; tertius in aula tantum Pechinensi, pro iure, & insignibus Doctoris. Ad prima Examina designatus est suus cuique Prouinciæ à Rege, vir exploratissimæ fidei, & doctrinæ quem Thihium dicunt, eius est obire ciuitates, & candidatos literarum probare, vt fiat ex iis selectus Suizaiorum quod vertamus licet, bacchalaureorum. Concurrunt prout est vrbs frequens, horum ad quatuor, quinque sex millia; singulorum doctrina tentatur examine triplici, primum agunt ex Literatis antiquioribus quaterni qui degunt in academia Confusij. Horum è manibus transeunt ad seueriores, Præfectos videlicet ciuitatis, sed longè impari quàm venerant numero, solis enim qui prima tulere suffragia, fas est secunda hæc ambire, in quibus aded minuitur numerus, vt ægrè ducentos efficiant, quorum tertia demum, cæteris acrior periclitatio ad Thihium spectat, qui viginti, ad summum triginta, suo iudicio, dignos laurea baccha inaugurat, ingeniorum florem, tanto nimium ex numero, tam augultum, tam sagaci sollicitudine & cura lectum, Reiectos ab imis, vel mediis sedibus, non frangit repulsa, nec abiicit, maioribus animis literarum studia resumunt, alteram aleam suo tempore subituri: quò illos tum alia stimulant, tum honos, & veneratio, quibus nouum dignitatis gradum, vniuersi promotis gratulantur: nam exinde ab Rege sibi ac domui annonam accipiunt; priuilegiis augentur; censentur inter vrbis optimates. Peculiari cultu spectabiles incedunt; grauioribus cerimoniis adeuntium officia excipiunt, & reddunt; multis in rebus immunes sunt à communi foro; & si quæ reos causa damnauerit, mitius pœnas luunt, denique velut recens ex seipsis nati, nouique generis prima stirps, primarij nobiles hoc ipso creantur: nobilitatem enim Sinæ vt à maioribus nequaquam hauriunt, sic non transmittunt ad minores, suam cuique nobilitatem sua virtus, & suum ingenium fingit, sibi quisque vni eam debet, præterea nemini; & suo interdum ex mapali pedes ad examen profectus, prærogatiua scientiæ repente fit nobilis, ditatur, honoratur, eoque subinde dignitatis attollitur, vt Regis etiam propinqui eum de genibus alloquantur. Verum enimvero quem dixi tertius Literatorum Ordo, donec ad secundum pertigerit, obnoxius est nouo examini quo Thihius eorum primum cognoscat, num fortè honorum opumque saturi, labori pepercerint (qui certè haud paulò grauior ad secundam Literatorum classem ab iis exigitur quàm ad primam) num suum ingenium, patriæ spes, & beneficentiam regiam luserint. Reuocantur itaque ad incedem, datoque iterum experimento sui, diuiduntur quintuplici ordine. Primis negotia, & officia creduntur honorifica simul, & quæstiosa; secundis item, sed parcius; tertios nec pœna nec præmium afficit; quarti publicè cæduntur, maiori dolore quàm probro; exaugurantur vltimi omni gradu & ad pristinam redeunt vilitatem.

Hos omnes gradu antecedunt Magistri, seu quod aliud sit nomen quod Chiugin Sinensi certius respondeat. Hanc in classem adscribi

non ambiunt, nisi quos omnium optimos, inferior exceptit, nec promouentur nisi tertio quoque anno, & intra quindecim Prouinciarum metropoles, idque octaua Luna quæ in Septembrem nostrum eadit. Pechinum, & Nanchinum centum quinquaginta; vrbes aliæ, ferè centum producant, nec licet hunc numerum exire. Præfectus studiis Senatus, Regi centum præstantes Literatos libello exhibet, vt ex iis triginta seligat, quos in metropoles singulas binos mittat examinibus præfuturos, horumque alterum ex Collegio regio in quo nemini sedes est, nisi sit laude omni maior: eorum profectio ad articulos temporis tam aptè exigitur, vt die eodem adcreditas sibi metropoles, pertingant vniuersi; nempe Lunæ octauæ nono, duodecimo, & decimo quinto, etsi duorum subinde mensium distent itinere; aduocantur qui missis ab Rege assideant & parte laboris eos leuent quem sanè tam grauem & diuturnum perferre soli omnino non possent, Interea vero dum noni diei, prætolantur auroram duo illi, quos huic officio in aula Pechinensi Regis imperium addixit, mortalium neminem vel affantur ipsi vel audiunt, ne suspiciones moueant, indicati cuiquam argumenti quod improuisum debet examinandis omnibus proponi. Habent Metropoleon vnaquæque Palatium muro cinctum, speculatoriis, distincto turribus, & latè capacem aream claudente, cellarum circiter millia quatuor complexam, harum singulæ tres ægrè latæ passus, quatuor cum dimidio longæ, ad hominis staturam altæ; supellex mensa & sediculum præterea nihil. Subituri examen ad Magisterium baccalauræi, vna ianua omnes intrant, sed ipso in limine sigillatim excussi, ne quid in vestibus, aut penicillorum calamis scriptum celet; quod si deprehensi fuerint attentasse, crudè à lictoribus publicis verberantur, præter se igitur, calamariam thecam, penicillos tres, & cartæ folium, nihil eò inferunt; ingressi clauduntur signatis ianuis; circumdant palatium milites; Literati pro turribus excubant ne quo cellulis clausi missio vel accepto signo, alienum opus pro suo nitantur obtrudere. Nec fas est quicquam vicino sodali, de cella, non dico inuicere, cum protus aspectu mutuo careant, sed nec insulfurrare quidem, cum cellis singulis miles aduigilet totus oculus. Pendent ad quatuor areæ angulos cubitalibus literis commissionum argumenta, in quibus debent experimentum sui præbere candidati. Sunt autem primo quidem die, effata Confusij quatuor ex libris quinque doctrinarum, tria vero ex aliis quatuor, quorum est apud Sinas summa auctoritas. Licet cuius optare quam suis viribus senserit æquiores: orationis in eam scribendæ modum metiri debet characteribus quingentis ( seu quod idem est ) vocibus completi. Die altero, & tertio, qui sunt Lunæ decimus quintus, & duodecimus, integrantur excussiones, excubiæ, cautiones. Trium proponitur deliberatio, in quibus quid fieri prudenter debeat? quid omitti? quod dandum Regi consilium? pronuntiandum est, in modum libelli supplicis. Habet dies tertius & postremus, causarum ciuiliū & capitalium

pitalium tres nodos dissoluendos, absoluendo, damnando, conciliandis inter se partibus ut si candidati pro tribunali iudicarent. Tribus his doctrinae reconditoris, & sapientiae probationibus dies dictos infumunt, & ab hora diei prima labori acerrimè ad noctem incumbunt. Prandium iis leue ciuitas suggerit, à quo nihil fumorum metuat cerebrum. Sub noctem omnes sua folia complicant, sigillo claudunt, suoque, maiorum, patriae, ac sui cum obscuri & ignoti pagi adscripto nomine Praefectis tradunt. Praesto sunt his amanuenses, indeque apographa non atramento, sed minio statim ducunt, pernecitate quidem incomparabili, sed fide tam religiosa, ut ne apici quidem vtramvis in partem dent veniam; haec auctorum suppresso nomine, suis primùm ritè cum archetypis collata censorum iudicio committuntur, archetypis interim sub sera, & annulo reseruatis: sic auctorum ignari penitè, de descriptionibus illorum censes iudicant. Primus earum ab assessoribus aduocatis delectus peragitur, ij tanta ex multitudine optimas qualquos seponunt ab aliis, plures duplò quàm sit designatus ad gradum numerus. De his ad vltimum duo illi ex aula missi pronuntiant, & partem earum altera meliorem, suo calculo probant, in quo nihil non accuratatione incredibili attendunt; sed iudicij maximè, in sententia ferenda, & dando consilio cordatam firmitatem. Hos tandem perfuncti lucubrationum serupuloso delectu, coguntur examinatores, earum apographa, cum archetypis autographis conferunt, & integritate geographorum omnium, ad viuum probata, compertaque, magisterio dignos, Luna octaua exeunte in publicum proferunt; nomina illorum, & scripta, & excusa toto regno spargunt, cum eximia eorum cuiuspiam, compositione, non oculis modo Senatus regij, sed Rege ipso digna. Hic dici non potest, quanta passim gratulatione, honore, lætitiis, muneribus etiam excipiantur ab omnibus, tanquam regni deinceps primaria capita, & ex parte Rectores; nam magnam in partem veniunt, munificentiae regiae officiorum, & praerogatiui cuiuslibet iuris; nec vlla superest deinceps subeunda illis periclitatio, sed possunt tutò partis frui, & in gradu, si lubet, quem adepti sunt, quiete, vitae residuum agere, postposito ambitu Zinsuum, siue Doctoratus, qui amplissimus est, ac supremus Literatorum Ordo: ad hunc nisi tertio quoque anno nullus prouehitur, Prouectioni status dies Lunae secundae nonus, duodecimus, & decimus quintus; locus aula ipsa Pechinensis; & Rege ipso coram, dictisque ipsomet ab Rege censoribus de promouendorum merito cognituris, quibus ex omni sapientiae flore lectis, vnum adiungit ex Colais, qui Magistratus secundum ab Rege locum tenet. Probationis formam à superiori nihil distinguit nisi argumentorum quae proponuntur sublimitas, doli seuerior, & acrior cautio; & probandum numerus qui vicenarius, prouinciarum singulis designantur. Appetente hora, promulgandi nomina electorum, praesto sunt trecenti stipatores, totidemque aurigae qui suae adhuc ignaros sortis, & spem

inter metumque latitantes indagent, sed amicorum tunc indicio, inuentu faciles, equis impositi & pompa magna in Regiam deducti, excipiuntur inusitatis honoribus, & fuit olim cum ipse Rex sua illos cohonestaret præsentia; illic Præsidis manu Doctorum insignibus decorantur; & noui aliquid breuiter componunt, ex quo iteratis de cuiusque merito calculis trifariam diuisi, prærogatiua ut laudis sic honorum, & officiorum primi ferunt, & multo maiorem inter illos primus. Hos verò exinde Doctoratus eiusdem consortes trecentos, nexus amoris tam arctus colligat, ut si forent eodem progeniti patre, pertinetque hic amor ad eorum etiam propinquos, ipsosque examinatores quos venerantur parentum loco, & ab his vicissim omni ope & studio fouentur, ac tanti sunt quidem literæ apud Sinas. Verum & ad illas quouemque quid modo attingat, honorificè habetur, ornantur Calamodochi margaritis; inaurantur caræ; nobilitatem haudquaquam de decet compositio atramenti, & sculptura gemmarum ac lapidum in sigilla, quod ea nomen, cognomen, & dignitatem signantium, literis impressa contineant. Quin & sacrilegij instar sit si quis cartam quibusvis fortuitò inscriptam literis adhibeat in usus non dicam infames, sed profanos & viles. At enim quis credat militiæ gradus, eadem examinum religione dispensari, (competitorum inclusione prætermittam) nec iis tamen præesse censors, & iudices, bello trito, armisque confectos, sed tantum Literatos. Sedent in militum campestri meditatione Literati, dum eques, pedes, arcu, cursu, experimentum sui miles præber. ponunt militibus scripto respondendum hoc aut illo belli, & pugnae articulo, quid è re futurum censuri sint, quam suos in partem flexuri? quos optime omnium sensisse iudicat Literatus, ij gradu donantur militari; flocci enim arma, & bellum Sinensibus præ maiestate literarum, quibus pace ac bello fulciri totum imperium arbitrantur: quæ Literatorum administratio, cum nusquam alibi tam admirabilis legatur, explicanda est paulò distinctius.

58.  
Examen Sin.  
militare.

59.  
Gubern. Sin.  
Monarchica.

60.  
Regis Sinar.  
nomen, cul-  
tus color,  
maiest. in-  
sign. &c.

Sinarum imperium iam inde ab annis quater mille penes vnum fuit; Reges tamen subinde beneficiarios habuit imperitantes quibusdam prouincijs. Verum decem & octo fluxere sæcula, ex quo, subactis iis penitusque deletis, rerum summa in vnum rediit. Nemo subiectos in populos ius habet, præter vnum, nemo tribunalia statuit, aut nummum percutit, vel quid aliud audet, quod supremam oleat potestatem. Hinc ille titulorum fastus quos illi attribuunt, Tienzum, hoc est cælo natum; Hoantim, supremum Monarcham, qui ferè in usu est; utque alios taceam qui omnes maiestatem sonant, & sanctimoniani, Vansaius in aula nominatur, quæ vox decem millia annorum significat, quos illi adprecantur dum eum nominant. Sedes regia, vrbs Pechin; sed eum nunc à populi oculis maiestas, aut metus subinuet suoque palatio claudit, ciuitatis instar amplissimo & omni ad stuporem admirabilitate operum, & deliciarum saturato. Verum hic sui à mortalium oculis

oculis subducendi mos nouus, paucis retro ab annis inductus est; bis saltem quot annis alios sacrificium solenne, Reges in populi conspectum dabat, sed armatos, & denso exercitu viam partim quâ erant trastruri, breuem licet cingente; partim sellas gestatorias decem gradus seiunctis excubiis seruante, omnes modi eiusdem, coloris, & ornatus, vt omnium similitudine, in earum vna rex tutius lateret. Interdum quoque se de fenestra videndos magis quam cernendos præbebant, sceptri enim loco, ex gemma laminam gestabant bipalmarem, latam digitos quatuor, eaque intentis ad cernendum principem oculis, plus oris dimidio tegebant. Impendebat capiti corona figuræ insolentis, vlnæ vnus in longum tabula, in latum semis, vnionibus filatim, & margaritis fimbriata, vt interspicere intuentes possent, non possent ab iis vultus eorum denotari. Color vestium croceus sic Regi proprius & perpetuus est, vt qui eum vsurpet, suspectum se faciat perduellionis, nisi forte Regem affinitate proximè attingat. Vestes draconibus aureis acu phrygia intextæ; draconibus supellex regia vniuersa, ipsæque ad ð palatij regulæ, demum quicquid vbique regio censeatur nomine dracone insignitur: quo item regio animante, vno aut pluribus, pro modo concessi honoris, vestes luas prætexunt Ministri: auem quoque sibi peculiarem Rex suæ chlamidi inter dracones interfert, quæ si pictura non mentitur, speciem præfert nobis valde monstruosam, de Phœnice tamen credi potest duxisse quòd Solis ales nominetur, quod mira colorum varietate decoretur, quod nisi semel singula sæcula eam non videant, quod sui spectaculum vltra certum annorum numerum si fortè differat, calamitatis publicæ omen putent. Scutario Typo ille Regam Priscorum dicitur eam inuississe cuius tempore primum apparuit. Porro hanc sui Rex tam auaram videndi copiam non vulgo tantum negat, sed ipsis etiam, quos Patres appellat, Colais, et si cum iis regni negoria & curas quotidie diuidat, soli eum; Eunuchi, & ancillantes matronæ nobiles assidue vident, quarum anno 1637. nonnullæ vt post narrabitur Christo nomen dedere; vxores item, & paruuli filij; vitæque tam meticulosè, & anxie cauet, vt à viris grauissimis acceptum retulerit Riccius hæredem imperij, si Regi se listat inuocatus, fore patricij suspectum, & fortè strangulandum. Neque propterea timendum, ne sui aspectum suis negans, eorum conscientiam fugiat, dubitentque an sit, quem nunquam conspiciunt, actuoso enim agendi vigore, pro anima regno est, quæ & ipsa sub sensum non cadens omnia peragit: vt ad hanc sensus sic ministri ad regem summa fide, minima etiam referunt. Libellis itaque aditur ea styli aulici granditate, quam rari etiam è magistris æquate valeant: reuerentiæ tributa, & obsequiosæ venerationis, vacuo eius penduntur throno, & coronæ throno impositæ. Nouo igitur inennte anno, & primo eius die Prouinciarum quindecim legati superbo procedunt apparatu, annos decies mille Regi solidos precaturi. Cum his vniuersi magistratus &

proceres sua quisque in vrbe in templum conueniunt, multaque, ac lenta multarum horarum adoratione throno regio procidunt, draconibus aureis radiato, vt si Regem in eo confidentem spectarent; instauratur quoque Regis dies natalis pretioso munerum appulsu quæ à Proinciis Pechinum mittuntur, nec sinunt illas de rege an viuat ambigere. Iam nouo quemcumque seu literario, seu militari Rex præficit muneri, aut mediocri etiam dignatur gratia, bimestri quamuis semotum itinere, necesse est quamprimum se sistere, & solenni Eucharistico memorem animum coram throno regio profiteri. Ad hoc habitum induat oportet peculiaris formæ & coloris, mitram capite ex argento gerat inauratam; manu tabellam ex ebore, vel si dignitas ferat pretioso ex lapide, quam ori semper oppositam teneat, velut spiritus graueolentiam prohibiturus ab aliis, & v.æ! misero illi qui cultu corporis neglectim curato adstiterit, aut throni & aulæ perstrictus fulgore confusè aliquid, & ineptè in consuetis ritibus peccarit; præter ignominiam & ruborem, plagas etiam inde acerbas reportat. Et si enim illi rituum Dictator, clara voce illos præcipiat, sed reuerentia & metus, non raro monita, diu quoque meditati excutiunt; Augustam vero cæterasque reginas non obseruant Sina, vt solent aliæ nationes, cum nec regius sanguis, nec titulus nobilitatem iis conciliet. Augustæ solùm datur coram Imperatore vt fideat, sedere reliquis coram ipsa nefas tametsi vxoribus & Reginis. Accedunt his vxores quidem, sed nequam Regina triginta sex, totidemque grex concubinarum, hæc autem opinor ex more antiquo historici sumpserint, nam hoc vltimo æto Sinarum Imperator ducendis vxoribus est multo parcior. De plebe omnes propemodum leguntur; & multarum presantium ambitus formæ præstantia dirimit; nemo vir honestus (sædè anxij & custoditi sunt pudoris) suam ad hunc delectum filiam exploratorum oculis committit, præterquam quod exigua est Reginarum in aula auctoritas; seuerissima custodia velut æterna sepultura & inter æmulas riuales vita miserrima; quam item Eunuchorum diuersa studia miseriorem efficiunt. Horum vt minimum decem millia palatium claudit; omnes proletario ex luto, & pessima educatione, vt quos parentum inops fecunditas Turcorum more euirandos tradit, inde à puero cum pueris coæuis in obsequia palatij aluntur, adultaque iam non magis ætate quam vita nefaria, in aulam subeunt, vbi se cum modo ex cæno, tunc aureos circumspexere aliquandiu, nulla æque natio efferatius superbit. Palatium omne, Reginas, Principes, Regem ipsum in manu habent, possuntque omnia si volunt, quod nimium sæpè in huius historia carsu contingeret cernere.

Qui vero tandem Rex, omnium quæ geruntur nihil videns, omnia resciat, geratque omnia; & confluentes ad illum vnum tam vasti imperij res omnes nec diuersitas confundat, nec turba obruat, nec prouisioni leuiorum obstent grauiores, omnino dignum est inquiri. Ac huius

ius miræ gubernationis cum multæ sint causæ, vna cæteras mouet, & congruis aptas officiis operi applicat; rectus nempe & idoneus ordo. Ex quo literas Sinæ colunt, quod fermè referunt ad eluionem orbis primam, in hoc illorum sapientum consensus omnis atque contentio, vt machinam fingerent tanto versando imperio tum æternam, tum motu facilem: quæ item ratio illos mouit, vt tribus è scētis quæ regnum diuidunt, literatis solis, publicorum administratio crederetur. Quod quæcumque vel discunt, vel docent, ad perficiendam conferant, & fouendam optimam gubernationem, nec vlli vehementius adlaborent quàm ordinis conseruationi, ex quo reliqua omnia partes suas, vim, & efficaciam assequuntur: certè illa populi Præfectorum, & negotiorum tanta multitudo, quantam possit omnis Europa numerare, tam congruis partium conferta, & suspensa nexibus voluitur, vt nullius æque ingentis machinæ, rotarum ordines famularum, decumanæ motibus obsequantur. Estque primum hic ordo inter ciuitates minimè obscurus. Nam Prouinciæ quindecim, Regnis totidem æquales Sinarum imperium componunt: sex illarum ad mare; reliquæ interiores continenti, possuntque nunc certius, contra errorem scriptorum veterum Chiano flumine diuidi, quod filium maris significat, toros ab occasu ad ortum Sinas inæqualiter scindente. Pars enim altera ad arcum sex tenet prouincias, in quibus tantoperè cantatum, tam diu alio sub cælo frustra quæsitum & creditum Cataium (de quo commodius alibi) ad austrum altera, quæ Mangin Tartaris dicitur. Porro vtraque muro cinctas, quæ grandes quæ tenues ciuitates plus sesquimille complectitur; aperta oppida, etli vrbibus interdum paria, pagos, & castella, ea densitate, vt regni totius, habitatio vna videatur. Structura vbi que propemodum eadem, omnes quadrato pomærio, fossis ingentibus, latis intra muros aggeribus, vallatæ, ac turribus quæ plana murorum per æqua spatia defendant. Sed maior earum soliditas & moles quæ portas singulas muniunt, præter bina quæ illas fulciunt propugnacula. Ingressus in vrbes nisi portis geminatis nullus; quarum interior, flexu ambiguo ab alterius aspectu absconditur, medium spatium præsidio militum valido semper occupatur. Harum vero quas dixi quingentarum & mille vrbium vnaquæque populum non constat seorsum à reliquis, & aulæ dumtaxat mandatis obnoxium, sed mutuis inter se iubendi & parendi gradibus ligantur vniuersæ, & nobiliores, semper minoribus imperant. Numerantur in primis Fui nomine centum quinquaginta omnium amplissima æqualibus inter se spatiis toto regno sparsæ, in iis quindecim Prouinciarum metropoles, & Proregum sedes: nec sola murorum amplitudo, & frequentia ciuium Fui vrbes præ cæteris attollit, sed imperandi ius, quod in suam singulæ obtinent earum regionum in quas Prouinciæ tribuuntur, subduntur his minus nobiles, quæ Ceo continentur supra ducentas nouem & triginta, quibus rursus intra Hiensi

finis

61.  
Monarchæ  
Sinenfis ne-  
xus & des-  
cript.



fines subiacent centum alia ultra sesquimille, & his æquabili descensu oppidula castella, & pagi, ut sit nullus in regno tam immenso locus, quin lege stabili pendeat à maiori: ut verò vna est minorum ad illustriora obsequens habitudo, ita est præfectorum à quibus reguntur, quod dici commodius nihil potest ad cogenda tributa, causarum, ac rerum pro tribunalibus celerem exitum, & securitatem tranquillæ gubernationis. Quamobrem & vrbi cuique ut mox videbitur suas est in partes præscripta distinctio, & quamcumque quis partem administrandæ Prouinciæ sortiatur, delineatam eius Topographiam apud se habeat oportet definita suis mensuris loca, quicquid demum sibi de iis nosse conduxerit. Ex quo fit euidens quod alioqui difficile creditu visum est, cum sit nemo in Europam reuersus qui Sinarum Imperium delineauerit non dico etiam negligenter, sed neque qui totum percurrerit; habere nos tamen accuratissimas illius tabulas, cum prostent illic venales innumeræ quæ Prouincias non modo integras, sed subiecta iis loca referunt magna fide, seruanturque apud nos quas P. Michael Ruggerius indè Romam tulit Sinenfi, & nostro caractere, illas typis, has manu excusas, vtrasque Prouinciis, & locis vniuersi regni, eorumque conditionibus dignitate, & iis quos diximus parendi iubendique vicibus notatas: ex his theatrum Sinense parantem edere mors præuertit. Meditato labori successit P. Martinus Martinius à quo nobis ex Sinis Nouus Atlas Sinenfis feliciter in lucem prodiit, auctaque est illa Orientis nimia, & ingenti parte Geographorum scientia Notitia denique totius Imperij grandi volumine maiorum illic præsidum manibus teritur, in quo nihil vrbium, pagorum ciuium militum; nihil vectigalium, arcium, præsidiorum; omittitur; nihil tributorum, sumptuum, fodinarum prouentuum domorum vbique regiarum, & eius breuiter quod quocumque modo vsui sit ad tanti corporis gubernationem, sed ordinatissima serie singula ex singulis apta, & ab vno suspensa continentur. Forum suum habent territoria, in vrbe præcipua regionis cui subiacent; Regiones in vrbe Metropoli Prouinciæ cui parent. Prouinciæ in vrbe Pechinensi, Regni sede, & domina, vnde quoquo versum continuè leges, mandata, præfecturæ, supplicia, præmia, & occurrentium necessitatibus casuum opportuna mittuntur subsidia. Suis pariter cuique ciuitati partitionis huiusmodi consensus. suis singulæ regionibus distinguuntur quibus tribunalia propria ius dicunt, haud quaquam mutuo sibi obnoxia, sed superiori dumtaxat omnibus præsidenti: certum amplectitur quælibet regio vicorum numerum, nullus sine peculiari præfecto vicus, cuius est suorum apud Præsidem sui tribunalis edere rationem quorum ne quis ipsum latendo fallat, coguntur ciues pro suis foribus descripta palam tenere nomina illorum qui domi sunt.

62.  
Tribunalia  
sex.

Huic locorum tam pulchrè inter se digesto nexui, succedit non minus admiranda negotiorum tractatio, quæ licet numero infinita & varietate

rietate semper noua: sic nihilominus soletter, & compositè dispensantur, vt Rex ipse in speciem iners, reuera omnia peragat: multorum enim tribunalium agitata, complanataque disputatione, multis & magnis discreta sententiis ad illum cum veniant, in promptu habet rectum de illis iudicium, eaque vnus characteris adscriptione, vel probat, vel reiiicit. Sunt namque in aula, Sapientum tribunalia, ad quos regni totius negotia in classes totidem seiuncta referuntur: suus est cuique tribunali Præses, Assessores, Magistratus; Amanuensium, & Ministrorum turba ingens. Omnes de fisco regio largiter auctorati; nullius tamen tribunalis eò potestas extenditur, vt supremum de rebus pronuntient, causasque adiudicent, eorum est tantum de illarum iure cognoscere & consilium dare, quod partim pro suo cuiusque officio præstant; Rege partim iubente, vt supplicantium retractent libellos, quos ad se vndique immenso numero priuatim, & publicè perlatos, eorum examini committit. Supremum tribunal, Mandarinorum curat vastam hierarchiam per quos negotia omnia etiam bellica proximè reguntur, consensione mirabili, minoris cuiuslibet cum superiori. Ab hoc aliorum principe tribunali, Magistratum pondus cum ambientium viribus libratur. Recognoscuntur omnium qui regunt etiam infimorum tum recentiora merita, tum & commerita, quæ cum ad illud perferenda minimè dubitent, cautè in officio continentur, vel cupiditate maioris præfecturæ, vel metu exautoramenti perpetui, quod morte ipsa multis est grauius, repenti sæpius atque improuisè in ordinem redactis. Senatus huius cum infinita sit in vniuersi imperij Magistratus autoritas, cæli Mandarinos, eius Præsidem & Assessores vocant, tanti est illic posse homines dignitatibus augere, vel iis exuere. Tribunalis alterius Senatam Quæstores faciunt, regij vectigalis, & sumptuum penes illos cura, nullus enim est agri tam vasti angulus qui Regi centesimæ nonam decimam non pendat, nemo à capitatione eximius, præter Literatos, milites, consanguineos Regis & paucos alios; iura beneficiaria, ciuilia, vectigalia, redditus annui absque numero; impensarum alia ex parte tam profundus gurges vt nihilo Regis magnificentiam quàm ærarij opulentiam parcius illustrent, etsi de fisco ne obolum quidem frustra, vel temerè proferat. Horum omnium rationibus innitit secundum hoc tribunal; quin & arbitrariis donis concedendis, quo pacto si minus ligatæ, impeditæ sint saltem Regis manus post paulum patefiet: iam quò regij census pertingat summa, ægrè iis persuadebitur, qui suæ patriæ modulo, aliena omnia metiuntur, certo tamen pertinet ad annuos centum quinquaginta vt minimum auri

<sup>63.</sup>  
Regni cen-  
sus.

munita: tertia eaque potissima in Literatorum & militum innumerabilem populum, tum inaugurandum, tum condignis ornandum & sustentandum stipendiis; in templa, cœnobia; in academijs & pontes, in naues, & palatia, & quicquid toto demum imperio, publicis vñibus fuerit institutum, quibus tam prodigiosis interdum Rex impar cogitur, noua prouincijs tributa imperare: vbi succurrit lepidum Marci Poli nobilis Veneti qui rogitantibus amicis & ciuibus de Sinarum regno ex quo velut orbe ignoto redierat, cum Prouinciarum opes, & regias nisi millionibus aureis non censeret; cognomentum accepit millionis tam constans vt ex fortuito in proprium transiret nomen, quo in veteribus Reip. tabulis appellatur, nec eius aliter ad S. Chrylostomi domus nominatur quàm palatium millionis. Tertium tribunal Solibus præsidet, grandi, si quod aliud regni negotio, haud quidem solius comitatis, & elegantia studio, sed quod ea decori exterius tenendi accuratatione, putant legis suæ præcepta contineri, & documenta probitatis, ex virtute profectæ, & egregiæ indolis bonitate. Sunt autem præcepta illa quinque iam inde ab ipso Sinarum exordio posita & perpetua Scriptorum & Literatorum commendatione semper noua, nunquam obliteranda. Obseruantia nomen iis tribuunt referuntque illa, vt alia omnia ad felicitatem priuatam & publicam, fructum præstantissimæ gubernationis qui mutua constat conditionum diuersarum & personarum necessitudine, ac decore: filiorum videlicet in parentes obsequio & veneratione; subiectorum erga Regem fide; vxorum aduersus coniuges motigero ingenio; fratrum erga natu maiores obseruatione; amicorum inter se fidelissimo nexu, & amore. Quibus virtutibus cum esse præditos homines deceat, aiunt pariter æquum esse vt exterius se prodant omni eo genere comitatis quam vicissim sibi omnes debent: cui obseruantia diligentiam suam intendit hic Senatus; quanquam præter hanc etiam in templa, in religiones, sacrificia, festa, sacerdotes, & quicquid est sacrorum rituum suam operam porrigit, non simulatione impia, diuinis Deoque vtentium, vt rationibus Principum aduersus Deum famulentur, sed quod arbitrentur Reipublicæ conuenire; etsi enim Deum quem se desperant inuenturos, quærere negligant, saluam tamen optant grati animi virtutem, quam si ab hominibus auferant, videantur illos mutasse in bestias: quamobrem cœlo, soli, stellis, anni vicibus quatuor, & mundi partibus, tutelaribus item vrbium genijs, terræ, montibus, & fluuijs sacrificant, non quod opinentur, inesse iis aliquid diuinum, sed ne ingrati sint aduersus illa ex quibus tantum bonorum percipiunt, versuri omnino stultum hunc erga sensu carentia honorem, in venerationem primæ bonorum causæ si eam agnoscerent. Ad hæc funebres ritus, parentalium, vrbianitarum officiosarum, epithalamij regij, & legationum; Professiones regie clientelæ, & honorarios ab Rege titulos suis consilijs moderantur. Datisque ad Regem literis respondent, quod is sua indignum censeat maiestate, eas responsione aliqua

aliqua dignari. Quarti fori tribunal rem militarem administrat, qui labor in regno summè pacifico iudices illos non leuiter occupat, quàm si bello vniuersum arderet. Hi militem imperant, Imperatores dicunt, Duces præficiunt, classibus maria insternunt, huiusque omnis apparatus regni finibus propugnandis partem alteram addicunt; alteram longè numerosiorem, in procinctu perpetuo habent, & in occasiones omnes promptam, & paratam: ad eosdem spectant armamentarij, officinæ armorum fabriles, & fusiles, distributio militum toto regno, illorumque probatio, merita, præmia, & pœnæ. In foro quinti tribunalis vertitur quicquid vbiq; Prouinciarum & vrbium, ædificiorum regionum nomen comprehendit, in quibus est infinitas quædam palatiorum, & nauium, quæ ad Regis magnificentiam, vsusque regis vtrumque pertinent, vel eius consanguineorum, quorum ad multa millia numerus excreuit. Sextum denique tribunal, de capitalibus cognoscit, & quod apud nos portento simile, de instrumentis cruciabilibus, & carnicibus ad siderandum terrore populum magis idoneis. Ac videntur quidem aduersum reos parcendo & plectendo extrema sectari, sed hoc putant Sinæ magis conducere ad humanitatem quam tanti faciunt, conseruandam, & vitandam in reos crudelitatem inexorabilem, itaque viuicomburia, & rotas, & cruces, & forcipes, & diuellenda quadratum corpora, proponi quidem oportere, minime tamen in opus conferri, nisi ob rara criminum & impiabilia portenta, quibus certè interdum tam atrociam infligunt supplicia, non modo vt summo in iure summa iniuria illos afficiant, sed humanitatem quam tantopere affectant, credi possint mutasse atrocitate belluina. Qualis est cum reum forcipe frustatim dilaniant, & ressecandis lentè nouacula carnibus non prius absoluunt quam fructa earum sesqui mille, nonnunquam & tria millia projecta ob oculos cornat, ac tum demum truncato capite, mortem illi concedunt, cæterum fere capitales reos, gladio, aut laqueo plectunt, ac ne id quidem nisi propter noxas extra modum graues, inter quas furta non numerant, tametsi nullum inter Sinas maiori odio crimen sit, nullum frequentius. Prima nihilominus eius pœna, admonitio magis est cauendi in posterum peccati quàm admissi vindicta; secunda, furis brachium inurit æterno caractere; tertia, si tertium recidat frontem ipsam, & si post etiam fuerit deprehensus, aut multis contunditur plagis, vel summum ad transtra damnatur; quæ suppliciorum lenitas infidiis & latrociniiis omnia impleuit, quibus vtrumque inhibendis sub noctem licitorum exercitus vrbes totas ad vsque auroram percussant, & crepitaculis ærisque strepitu, seu monent ciues cauendum à furibus; seu fures à ciuibus, quod remedium magna pars mali est, cum trifur sæpe sit ipse furum inuestigator, & expulsor. Sed fori huius horrendam speciem, exhibet apparatus quo eius Administri in publicum prodeunt. Antecedit illos longa carnicum & licitorum turba, studiose delecta ex Tartaris conseripti, ore, habitu, vultu furis simi-

les, quisque terribile aliquod cruciandis reis gestantes instrumentum, velut in omnibus compitis, lanienam crudelem edituri; vlulatus verò tam pauendos mittunt, vt nulla in syluis bellua tam dirè ferociat; ad eorum clamorem, tanquam solutis orco dæmonibus, omnes in fugam, & latebras se dare, domorum fores, & fenestræ occludi, solitæ populis stipari plateæ, tunc solitariæ, tristi silentio pauere: Nec est hic ludus aut cerimonia, in venerationem, metumque iustitiæ comparata; crudè aded cæditur cui malè feriato contigerit, oculos tollere, & in Rhadamantum illum defigere; portatur is humeris læticariorum, quales Poëtæ describant vltiores criminum apud inferos iudices, & hac se Orcina maiestate ostentat populis, capitalium Magistratus; nec seueritate minus vultuosa causas in suo prætorio audit, præsto sunt illic iidem tortores, & eosdem crebro iterant vlulatus, maximè cum portas citatis pandunt; sedet sua tumens ferocia iudex; procul hi de genibus cernui respondent; peracto foro palatium clauditur, signantur fores, nefas cuiquam exindè affari Præsidem, haud tam opinor ad terroris tenendam æquabilitatem, quàm integritatis, nullius iuasum euertendæ.

Postremò Colais imperij Patribus, & supremis causarum rerumque arbitris quæcumque ad Regem deferuntur, sex illa, quæ dixi subsunt Prætoria; singula singulis, sedes illis eadem quæ Regi, Pechinum ciuitas, tribunalia cætera etiam Nanchino concessa sunt ne ferret ægrius aulam à se olim Pechinum translata. Soli ex Magistratibus Colai, quotidiè ad palatium procedunt, missos ab aliis tribunalibus libellos retractaturi maturiùs, suamque de iis sigillatim, Regi sententiam significaturi; qui si postulatis annuerit, XI. nota approbationis, hoc est, fiat, subscriptos remittit. Verum enimvero, si periculosi, aut ambigui iudicij res erit, haudquaquam indignum sapientiæ illius suæ sublimitate arbitrantur, Prouincialium Magistratum, rogare consilia; imò nonnunquam & urbium, quæ Parlamento & Senatu clarent; ex iis consiliis Regij Collegij Doctores, cum optimum quodque collegerint id Colai ab se recognitum Regi denique exhibent, moxque libellionum turba, respnso Regij toto regno infinita spargit apographa, omnibus vbique certò persuasis non posse quidquam ex tam augusto prodire tribunali quod non sit omni ex parte sanctum; hæc deinde responsa, in libros composita, & in Typos data, historicis publicis illustrem suggerunt scribendi materiam, quin & quicquid aula statuerit commune aut priuatum spectans, decimo quinto quoque die ad omnes regni Prouincias perfertur. Hæc omnis tam diligens, & ex vno suspensa publici totius administratio palam facit Regem supremo imperio, & iure regnare, cum & agri & capita eius sint, nec possit tot tribunalium tam augusta autoritas nolentem cogere, sed cum ira esset maximè optandum vnus imperium, vt esset pariter in summa illius potestate tyrannis metuenda, sapientissimè prouisum à Priscis illis conditoribus legum Sinensium ne fas Regibus foret pro sua libidine, quæ  
dati

dati essent consilia spernere, sancitum ne Regibus liceret nisi iustum & rectum velle; illis ipsorum consiliis nihil posse iustius, nihil æquius statui; Reges ergo debere iis acquiescere quæ pro officij ratione deliberassent suggerenda, supremo iuri hoc iure nihil detrahi, iniquè agendi facultatem non esse potestatis, sed impotentia quæ præstet carere quàm ea soluta & libera frui. Iusti porò illius & recti normam quo dandis consiliis ministri; iubendo Reges obligantur, Sinarum leges immutabilem describunt; non quod æternæ sint, aut quicquam duodecim tabulis vel iuri Cæsareo simile habeant, cum earum ætas, annos familiae regiae non excedat. Novus Imperator novum condit imperium, novum à se imperio nomen ponit, natalem annum novum, ab inauguratione sua illi facit, novis instituit legibus, retentis nihilominus, quarum vtilitas vniuersali omnium approbatione commendatur, & adscitis quæ maximè in præsens conducunt, neque id suo vnus arbitrata, cum legum auctores lege illie primaria teneantur in quam suas omnes referant oportet, felicitatem nimirum imperii, quæ perpetuando in longas ætates eidem familiae sceptro, magnopere sita est, quare huius quoque habenda est ratio, in adiunctione legum novarum ad veteres, ne extinctione regii sanguinis regnum omne calamitate & cædibus furor ambientium evertat, stabilitis à se novis legibus Imperator, confirmatisque veteribus, obstringit posteros, regni sua è familia hæredes, qui pro illa quam præstant maioribus veneracione, observant eas accuratissimè; quod ipsi vt faciant, quamvis grati animi officium & promissi fides, & recti amor eos non cogeret, cogit literatorum metus, qui acerrime illas æmulantur; armaque & armorum nervos, regni ætariam, vniuersumque populum sic habent ad manum vt possint illum aduersus Regem momèto vertere. Rex tamen cum possit omnia neciuris vllius quisquam nisi ab illo vmbra obtineat sibi tamen nunquam tantum assumpserit, vt quicquam statuatur, vel donet, vel gratificetur præter vsus antiquos & legum præscripta, & tribunalium suorum deliberata consilia; quæ dum ipse exquirat, commendationem ad summam rei propositæ suam addit, ex qua vt maximè propensum ipsius animum perspiciant consiliarii, nunquam ab legibus, & more veteri abduci se sinant, licet de tenui solùm munusculo agatur, nisi forte ex iis decerpatur quæ in sumptus regios attributa, possunt eius arbitrio dispensari. Atque vt ex vno discamus quanta sit ministrorum illorum libertas, & animi robur, in asserendo legum, & recti iure, aut annos ferme quinquaginta Vanlicus Regni sibi hæredem destinabat minorem filium excluso maiori cui successio debebatur; id vbi recitum, mox in aulam confertim libelli plueret, reuerenter quidem, verum & audenter improbantium Regis consilium, & obiectantium quæ fama inde posteros, quis sermo Regem Vanlicum à muliercula fascinatam à se vsque aded descivisse vt ex legum supremo vindice, publicus earum violator euaderet, mulierosus maritus & durior parens. Qui

63.  
Constantia  
Magistratus

maioris natu inconsolabilem & æternum dolorem fictis feminæ lachrimis donaret, velletque ab cœlo & natura impostam primo natu coronam quam firmare debuerat in alterum transferre: nihilo seciùs si velle id pergeret, providendum an posset esse perpetuum, reclamaturas enim leges, & innocentem filium iure suo exclusum, nec passuros populos damnandam iniuriam exemplum trahere. His infano amore in furorem verso, Rex primos monitores, secundos & tertios multauit; pergentes nihilominus alios ad centum libellis obstrepere, partim loco mouit, partim exilio, ignominia, & plagis publicè affecit; at hic de condicito Magistratus omnes ad fores palatij conuenire, certi aut Regem ad parendum legibus cogere, aut proiectis, honorum insignibus, Magistratu, & publici cura, patrias suas repetere; quæ fortis animi tam constans excelitas sic Regem exterruit, vt exine absterit à corona in isto hæredi detrahenda, ne quod pronum erat, illam sibi mox detrahi cerneret; illud fortassis admirabilius de Collegio Doctorum quos morum, & iuris integritas ex omni prudentiæ flore, sexaginta numero selegit. Ij præter legatam quam extra ordinem à Rege accipiunt cognoscendi de causis impeditissimis & grauissimis potestatem, toti imperio excubant, & mille oculis exploratorum sagacium, scrutantur eius morbos, vel occultos vel malè curatos; libellis assiduè potissimum verò in acta procerum Regem interpellant, imò ipsum in Regem, cuius vitam & gesta suo iudicio, & censura castigant, cogiturque per se libellos perlegere quibus illi suadeat emendationem, quæ si quando magis licentia quam libertate offensus nonnullos in ordinem redigat. nunquam efficiet, vt cum res exigat monendo alij abstant rati alioqui fore se non modo viles & ignauos, sed etiam patriæ proditores, si honestum vtili postponant, & priuati commodi studio, commune malum dissimulent. Exauctorati gaudent, triumphant exilij gloria, & constantia libertatis, ac ne morte quidem ab officio cessant, cum postumis etiam è sepulchro scriptis, Regis vitia perstringant; quod profecto in Sinis prodigium grande est, qui cum beatitatem aliam nec sciant nec ambiant secundis ab Rege dignitatibus maiorem, lucrum tamen haud paulo præstantius existiment illas recti amore, & publici studio perdere quàm tenere. Restat aliud quoddam quo nullum potentius, nullum apud Sinas laudabilius tribunal; cum enim causæ, tribunalium, octo nonnunquam & decem expertæ vices, & religiosæ diligentia infinitas moras, reos interea diuturno carere tenerent, his ita consultum est, vt anni exordiis, iudicio iterum sisterentur: tunc ergo ex aula in Prouincias quindecim, iudices totidem ab Regina matre delegantur, quorum munus vocabulum indicat quo misericordiam iudices nominantur. Lustrant ij carcere, toto regno tentos, & quoscumque illic etiam confitentes; & conuictos reos compererint benignè absoluunt, nisi causæ illorum atrocitas pietatem omnem & misericordiam excedat; cuius Prætorij teneritas mollior fictione iuris nomen duxit

64.  
Tribunal  
misericordiam.

duxit ab Regina matre, quamuis hæc in publicis nihil possit, & veteres illi Philolophi de suprema Regis in reos potestate filio summum ius, matri summam misericordiam videri voluerint tribuisse.

Postremò deniquè de Præfectis extra regiam urbem superest id solum indicem quod in Sinis dixi maximè admirandum. Ordinem scilicet in tanta regentium multitudine singularem; consensionem in diuersitate tam varia; in potestate imperandi tam soluta, & libera obedientiam; ex quo tam facilis regnorum quindecim, tutaque sit administratio, ut vnus omnia & solus, omnium Imperator, & norit, & possit, & peragat. Habent Sinæ descriptos eorum titulos & classes, & classium gradus, nobis ad notandum præfecturæ cuiusvis Magistratum, Mandarinorum vox deinceps vsui sit, Sinis extranea, ex Lusitanico mandandi verbo nata, & Europæ iam familiaris. Editur Pechini quorundam eorum Catalogus, & anno 1644. munerati sunt octo & triginta supra nouies mille & quingentos extra urbem regiam Mandarinis; in vrbe bis mille ducenti decem & quatuor; nouem gradibus potestatis, dignitatum, & præstatione honoris diuiduntur; quos propria cuique gradui, ne quis in iis erret, discernunt insignia, in calceis, pileis, colore, Zonis auro, gemmis, ebore, ligno fibulatis. In processu equitant infimi; portantur exaphoris vel octophoris alij, condigna officio quod gerunt magnificentia; præsertim Proreges qui tanta incedunt maiestate, ut scribat ipsemet illius spectator, nihil vsquam tale in Europa spectari. Iam quoad limites & officia iurisdictionis, dici non potest inter illos quam religiosè obseruentur, illudque tantopere ab antiquis laudatum, Reipublicæ summam sapienter iubendo, & constanter parendo contineri, quantum apud Sinas præ aliis vbique gentibus pondus obtineat. Proreges quos Tutanos vocant, quid mense quolibet exacto gestum sit in aulam perscribunt, & de gerendis subsequenti mense, Collegij Regij, Regijque ipsius mandata exquirunt, accipiuntque celeritate non dispari per equestres Regis nuntios, quorum diu noctuque ingens multitudo suas currendi vices in procinctu expectat Mandarinis gradatim ad superiora munera promouentur, non subsultim, quod sit ut sui experimentum certius præbeant, & fingantur in arte regendi diutius; cumque sit omnibus solenne, ut non alia prouehantur via, procul abest æmulatio, commendationes, gratia, & patrocinium, quibus sæpè maximè indigni abundant quammaximè. Ad hæc legitimo quisque triennio Magistratum absoluit, ad nobiliorem, nisi commerita obstituerint attollendus, quod eodem in loco nunquam assequitur, ne parata diu auctoritas cogitationem illi subiiciat aliquam dominandi, quam etiam ob causam, gubernationi adhibetur nemo, nisi extra Prouinciam vnde oriundus, ne priuatis, propinquorum, & amicorum rationibus, & gratia expugnatus, alieno iuri fiat iniquior, vel alias à patria sua regiones ducat à se tanquam extraneas: quæ tamen ratio in oppositum valet quoad armorum Mandarinis, rectè iudicantur

64.  
Mandarinis.



65.  
Inspectores  
Magistra-  
rium & pe-  
na.

iudicantur pro suis in patria fortius, & fidelius pugnaturi quam pro ignotis, aut longinquis. Illud quàm seuerum tam cautum, quod ituro in Prouinciam Mandarinis, non datur Ministrorum, & familiae optio, quamcumque in urbem mittitur, illic stipendio publico paratam admittere cogitur, ne aut familiares aut ipsemet, corrupti iuris pretio saginentur, vel putet arrectos tot in se oculos ad ea quæ peccauerit cæcos fore. Obeunt enim Prouincias Inspectores, altero seu tertio quoque anno, ab Rege missi cum imperio in omnes Mandarinis, iique bono communi in paucis addicti, norissimæ fidei, probitatis, & scientiæ; dissimulato interdum munere, quanto occultius, tanto interius in eorum vitam & acta se penetrant, iisque iuridicè cognitis, repente se produnt, demandati officij diploma exhibent, tabularium reuoluunt causisque retractatis, compertos iniusti Mandarinis plectunt. Lege siquidem, vniversi qui regunt à Proregibus vsque ad infimos acta sua omnia, sententias, indulta, & quicquid demum quotidie gestum est in publicis tabulis relinquunt. Sed longè grauior ab quaestionibus & causis metus, quas secum aduersus Mandarinis capitalius reos, ad primum in aula tribunal Inspector defert, vt pronuntietur de illorum pœna. Tribus item quibusque tricenniis omnium extra urbem tribunaliam præfides sistere se aulæ recepto more adiguntur, sui ac suorum daturi rationem. Nec ista quis credat simulari ad continendos in officio Magistratus; damnatos culpæ sua certo certius manet pœna, cuius seueritatis fidem qui aderat, volens incredulis facere, Mandarinorum censuit ad quatuor millia qui anno 1607. variè sunt multati, nec de numero ambigi poterat, cum statim eorum quaquaversum, edita vulgentur nomina, & causæ ac tituli pœnarum quæ illis infliguntur, quarum longè maxima est infamis toto regno pudor. In iis maiori sunt odio qui venale ius habuere, aut vsurpauere sibi de publico aliquid, citantur in aulam, nudantur dignitatis insignibus Mandarinorum cultu, & officio, exauthoratique in perpetuum expelluntur. Deinceps veniunt quorum seueritas crudele ac barbarum sapuerit, qui solutis vixerint moribus; qui Præfecturæ, ac familiae decorum promiscuè duxerint, eodem hi afficiuntur supplicio nisi quod in aula subire conspectum minimè coguntur. Qui præcipitatis sententiis, maturæ præuenterint causarum examina, retruduntur in inferiorem gradum; Senes deniquè iam animo enerues, & castigandis sceleribus remissi, domum placidè ablegantur, saluo quidem officij honore, & insignibus, sed gubernationis in posterum spe omni, & ambitu cassi. Has pœnas tamen probari ab Rege oporteat, verum cuiquam, gratioso licet, nunquam ausit donare, ne veri & æqui, ac publici parum amans notetur. Mandarinis qui degunt in aula Pechinensi, scrutatur penitus, Senatus Præses, quem Lipum appellant, & constare ex iis diximus, quos vocant cæli Mandarinis; instituitur hæc indagatio quinquenniis singulis summa potestate; citra iuris apices, & formas, & secreta dumtaxat

taxat inquisitione : quàm autem durè & acerbè , exemplo sit annus 1629. quo moti Magistratu ducenti & vndecim. Ob decrepitam ætatem quindecim ; decem & septem ob infirmitatem , nec oneri parem ; avari septem , & pecuniæ addicti ; vltra modum seueri duo ; infra modum lenes , & dissoluti tres ; quatuor supra centum negligentes , & obliuiofi ; ardoris præcipitis sex & quadraginta ; decem & septem sui muneris parum gnari. Quid quod ipsa quoque Coliorū , & Taoliorum Collegia quorum delationibus damnantur , & castigantur Mandarinum , eadem incude sub eodem Præside probantur. Bis quotannis Colios duos Taolios quatuor in ordinem redigit ; sui que ipsius Tribunalis alterum assessorem , minuit vno gradu. At enim iniqua in regno compositissimo , virtutis foret & vitij ratio , nisi huius pœnæ illius præmia , æqua saltem lance penderentur. Sua Mandarinum laudata perfunctos gubernatione , manet illustri & locuples remuneratio gradusque superior : nec pecunia , fauore aut precibus opus ; ius omne merito æstimatur , quod licet ab aula distent longissimè non minus compertum est , quam si versarentur in media eius luce. Accedit Regis approbatio solennis , duo tresve scripto expressi characteres , monumentum virtutis exploratæ , & noui honoris ; quod qui suo adscriptum nomini assequuntur , hos vero alij tanquam cælo vicinos suspiciunt ; iique hoc dono circumspecti se ipsos , velut mille radiis coronatos ; domorum suarum frontibus , id affigunt vel intus loco conspicuo ; denique transmittunt in posteros ad familiæ splendorem quæ Mandarinum habuerit dignum regia commendatione. Iam Prouincia , & vrbe decessuros vbi ius integrè sanctèque ministrarunt , prosequuntur effusis muneribus , ( neque tunc post expletum Magistratum suspectis , ) præter illa , quæ ab solo Rege accipiunt in honorarium officij bene gesti. Rogant ab iis etiam calceos , Magistratus obiti solennes notas , eosque serinio eleganti , per aureum spectandos reticulum asseruant , & ostentant inter pretiosa pignora ciuitatis , cum elogiis Mandarinum , qui eos gestauerit : ad hæc loco maximè frequenti facta illorum marmoreis laminis incidunt , illustri compositione , cuiusmodi passim tam multa vbique visuntur encomia , vt possit Theatrum honoris , & meriti , vniuersum imperium dici. Eò tamen pertingunt paucissimi , vt templi honorem publico decreto assequantur , quibus autem id datur , eorum effigies in templo statuitur , coram mensa , & de ferro vel ære acerra capax ; & fixis in mensis diebus conuentus omnium ordinum , ad exsoluendos illi honores solennium , accendendas facies , suffitus cremandos , audiendas lucubrationes recitatorum præstantium , in eius gloriam sudatas ; aliæque , sed nihil supra meras honorum ciuiliū , qui virtuti heroicæ , & viris debentur de Republica eximie meritis. Templis tamen cedit honor triumphalium arcuum , sculptura incomparabili , selecto ex marmore cælatorum : construuntur ferè ad gothicum canonem , arcu ad latera duplici grandiore medium fulsiente ; assurgunt verò triplici contignatione , ha-

66.  
Magistrat.  
præmia.

rum supremæ rectum: interius transmarino obductum cœrulo, Imperatoris nomen præfert, quo regnante arcus positus est; tabula verò ingens in medio, Mandarinî, seu cuiusvis alterius cuius memoriæ est dicatus. Porro quam multis eiusmodi arcubus profeminatæ sint Sinarum vrbes coniciendum præbet vel vna vrbs sola Hinceum, quam M. Polus, tamdiu quæsitam Quinsaium credidit; platearum eius multarum decumana trecentis eiusmodi arcubus ornata traditur, cui paradoxo credulitatem aliquam conciliare aliter non possum, nisi fide scriptorum, qui centum millia Italica Hinceo tribuerunt; hæc si cui videntur incredibilia, pignus fidei oculos ab eo mutuetur qui & illa & decem millia pontium ea in vrbe vidissè se tradit: illorum quidem & numerum, & magnificentiam arcuum spectarunt, P. Nicolaus Trigaultius, & P. Antonius de Gouea, illamque particulatim nobis descriptam reliquerunt; sed plateam illam velle videntur intelligi viam iis arcubus trecentis mirabilem, in diei vnus iter dimidium porrectam,

67.  
Tria Sina-  
rum pericu-  
la, vnde?

Verum enimvero, si fuit Sinis cauendum seuerè à Mandarinorum vexationibus, multò grauior instabat iis metus à licentia militum, potentia Regij sanguinis & vi externorum: quare prouidentia fuit prorsus singularis multitudinem innumerabilium militum cum summa pace coniungere; obseruantiam in Regis filios & agnatos cum iure illorum tam priuato & solitario, vt neminem habeant, imperiis suis obnoxium cum quo possint res nouas moliri, regni demum gentibus cincti bellicosus, aditus omnes ita præcludere, vt nemo in illud extraneus pedem mittere valeat. Et militum quidem millia plus sexcenta, terra, marique toto imperio eiusque confiniis variè tributa muneribus bellicis, alta in pace ita occupantur, vt si bello arderent omnia. Cæterum hos inter apparatus, nihil bello peius execrantur Sinenses. Occidere hominem, extra defensionem sui, detestabile in barbaris; in latronibus plectendum supplicio, in solis ferendum bestiis, quibus præter prædam, leuandæ fami natura nihil contulit; militem cataphractum pro monstro contuentur, velut ferreis ex cute squammis natura non arte loricate. Præstantiam hominis totam de virtute & ingenio aestimant; quoad reliqua, feris compluribus inferiorem esse. Omnes pacifico habitu, etiam milites tunicati incedunt; nulli ferrum ad latus etiam militi (nisi publica in recensione) fuere tamen in Priscis Regibus non modo pace, & literis; sed bello & armis clarissimi, qui regna Orientis centum quatuordecim numero tenuere, vnum memorant Hioam qui annis ante Christum centum quadraginta Sinense imperium vsque Bengalam propagarat. Visum deinde Sinis consultiùs, & pro imperij fundamento lege statutum sempiterna, vt se intra se Sina colligerent, externa spernerent, re sua contenti vires omnes ad eam seruandam, intra regni fines conclusas haberent; hinc sua paulatim externis populis reddita libertas hæctenusque retenta, & si qui tributo, legatio

legationibus, & possessi iuris approbatione Sinensem obseruent vt Corai, Cocincinæ, & Tunchini Reges, eo solum consilio id agunt, vt tanti Principis tutela, confines in Officio & pace contineant: imò quod mirum est, inter Sinas montanos, & prope inaccessos, sunt qui suo iure sinuntur viuere, tùm quod publicè nihil turbant, tùm quod expugnari nisi cruenta victoria non possunt. Sic ergo Sinæ degunt in armis & pace perpetui. Denique ab iis cum esset etiam timendum qui accepta seruando regno arma, poterant in regni viscera vertere, huic item periculo prouidè cautum est. In primis enim militia nihil abiecius apud Sinas, nec ad illam quisquam inducit animum qui putet se aliquid in literis posse, cum sit Literati & militis discrimen quale imperantis & famuli; vsque aded vt summi etiam, exercituum ductores, Mandarinorum infimo subiaceant, eiusque pedibus prouoluantur, breuiter Sinarum militia, colluies est flagitiosorum, regni feex, & bonam partem serui, veratque illius immensitas toto regno longinquitate varia membratim distracta, ne quis possit ab ea tumultus motui. Duces quidem ab suis militaria exigunt munera, pœnas si peccent nec possunt exigere, nec illos præmiis donare, nec stipendia soluere. Ius illis dicunt Mandarinum, Duces interdum licitorum manibus tanquam mancipia coram cædunt; stipendia numerant, à primis sigillatim præfectis ad postremum vsque gregarium: penes illos sunt arma, araria, commeatus omnes; Soli de bello, pace, expeditionibus consulunt ac decernunt; quin & vbi ad manus veniendum aciem instruunt, conflictum dirigunt, quandoque præter spem, & pugnant acrius cæteris, & animosius occumbunt, fortè quod alij seruilia capita pro alieno pugnant, Mandarinum pro suo, & Philosophiæ qua imbuti sunt, decoro. Hæc summa rei militaris apud Sinas, cuius præstantiam abundè illa docet qua domi, & foris potiti sunt, nunquam intermissa tot seculorum tranquillitas. Nam quæ illos postremum obruit inundatio Tartarorum, merces fuit vilissimi proditoris, proditioes autem monstra sunt extra ideam rationis, & recti concepta, & edita: cæteroqui nihil prouidentius excogitari potuerat, quàm vt ea militi auferrent ex quibus patriæ periculum aliquod immineret, conseruarent verò, quæ profutura patriæ videbantur. Ciues & alij extra ordinem militarem, more ac lege inertes sunt. Breuior sica vix illis permittitur qua dum iter agunt aduersus latrones se tuentur, ad hæc nemo palam inimicitias profitetur, insectatur nemo, nullæ vsquam turbæ in sanguinem exeunt: singulare certamen nisi pugnis solis non certatur, ad summum euulsione capillorum. Imò viri aliqua insignes honestate, percussi aufugiunt, quæ fuga illic honorifica est, & de inimico, ira & odio, instar belluæ prostrato, magna apud omnes fama triumphasse laudatur.

Alij quorum ex multitudine parique potentia periclitari regnum dicebamus, Regis propinqui sunt, quorum numerus intolerabilis per annos trecentos, ad sexcenta millia creuisse ferebatur. Pater quidem

68.  
Militia apud  
Sinas vilis &  
Literatis ab-  
iecta.

69.  
Filij, & con-  
sang. Regū.

Riccus diuturnus Nanciani habitator, scribebat urbis quintam partem à prognatis familia etiam tunc regnante incolit. Sed erat pronius ab Regis fratribus discrimen: ij nunquam tam pauci quin nimium multi; ut Iceptro propiores, sic acriores in eius ambitu, & audaciores ad sollicitandam aulam, & populos in rebellionem, sæpè olim omnia turbarent; quare is quondam Cius, immortalis gloria celebris ob imperium Sinesè ab Occidentalibus Tartaris in suam Tamin translatum familiam, nunc quoque superstitem, modum adinuenit, quo sua Regnum filiis dignitas, splendorque seruaretur; & cogerentur absque vi esse innocentes. Cum ergo de more, Regni principio leges conderet novas, hanc inter alias statuit, ut cum de futuro sceptri hærede nato primo pronuntiatum foret, nato minores procul ab aula omnes secederent, vitam ea in urbe deinceps acturi, quæ nominatim singulis notaretur; illic palatium regali comæatu, Magnificentia, delitiis instructum haberent; Guani titulo gauderent qui solet extraneis Regibus tribui, ad usque posteros tertie sobolis propagando; obseruarentur illic ab omnibus etiam Prouinciatarum Præfectis, tanquam Regni summates: cæterum ea urbe pedem & circumscriptis sibi angustiis si efferrent, scirent fore se reos perduellionis, ad parentes, aut fratrem, & aulam reditum nec sperarent unquam, nec peterent. Clientelares fundos haberent nullos, nec domini ius in quenquam per quem iis in publica pateret accessus, à quibus ut intelligerent se omni ratione exclusos, ne Mandarini quidem crearentur. Eorum posteris, longè inferiori gradu, Gubernatores affarentur de genibus; legibus, & pœnis subiacerent, etiam morti, sed fame obeundæ, ne sanguis regius funderetur. Summam rei familiaris haudquaquam penes se haberent, nisi adhuc in illis Guani appellatio duraret, sed à quæstoribus, in certos dies illis penderetur, omniâque illorum ad regem refluerent, si absque liberis obiissent; sin autem, ex liberis nato maximus & hæres, esset verè ac propriè nobilis, reliqui ex iisdem familiis tantundem honore censûque annuo imminerentur, quantum à stirpe familiæ abfuissent; modo ne tam parcè, ut compelleret eos aliquando paupertas ad victum sordidis artibus quærendum Esto Regi consent hæc leges immensis sumptibus; sed plurius est regnum hac tam lubrica ex parte, ab omni tumultu, & suspitione securum conseruare.

70.  
Externi cur  
exclud.

Tertius instabat ab externis metus, quos horrent Sinae velut feros, & mali ominis, quasi vniuersus præter Sinas orbis, conditionem exosus suam agrestem & miseram, beatitatem Regni Sinis inuideret, eique insidiaretur. Ergo capital fuit externo cuius non minus quàm Tartaro, ferre in Sinas pedem. Capital nautis externum inducere, licet inuita nauigatione illic à Tiphonibus proiectum: nunc vitæ parcitur externorum, sed ne suis quicquam, de Sinis unquam renuntient, æterno, & calamitoso carcere clauduntur, quam formidosa inhumanitatis legem inhospitam à Sinis, subeunt etiam vectigalia iis & coniuncta

cta

Sta regna. Sed eam deniquè tot propugnaculis horrentem perfregit  
lucti fames, & commerciorum illicio, mari Lusitanos, Sarmacanos  
terra, & alios barbaros, ipsosque maximè diffitos Sinis intulit Sara-  
cenos: ac de Lusitanis commodius aliàs, nunc è continenti qui ve-  
niunt, cateruatim in vnum fœderantur, legatos se Regum quorundam  
simulant, quibus nihil tale vnquam in mentem venit: adsunt ex Persis  
etiam vltimis triennio quolibet, sed legatione numerosiori, quinto quo-  
que anno: tributum nomine, dona Regi Sinarum ferunt, quibus ipse  
decuplo magnificentius respondet; peregrinarum mercium ingens pon-  
dus, grandi suo lucro cum Sinensibus commutant: paucis datur in vr-  
bes ingressus, hospitia cæteris extra vrbes; sitæ sunt hæ in regni fi-  
nibus ad occasum, in Prouincia Chienfi; vni nomen Canceum, So-  
ceum alteri, Legatorum aduentum Prorex in aulam nuntiat, quo illi  
statim post acceptum regium diploma se confetunt non plures duo-  
bus, & septuaginta Cum autem Soceum multi patriæ suæ, & labo-  
rioso in illam reditui præferant, hoc ipsi, at hisce legibus impe-  
trant; in continentem ne pergant vterius; noctu domo non egredian-  
tur: domus ipsi partem solum mediam incolant, Sinenses alteram.  
Post nouennem demum Soeci commorationem, interdictum sibi tum  
patria fore, tum alia quauis extra regnum Sinarum regione: velut  
ipsi quoque Sinenses essent, quibus regno quidem exire vetitum, sed  
tam inaniter vt si de beatis, vetarentur fieri infelices aded ab omni  
præterquam suo abhorrent cælo. Itaque si Regis ineluctabili manda-  
to cogitur tandem Mandarinus extra regnum aliquid gerere, tantis cum  
suis & coniugis, liberorum & comitum proficiscitur laments & la-  
chrimis vt si ad patibulum raperetur, & hoc etsi violentum obsequium  
quoddam voluntariæ morti præulerit, tam fortis animi censetur, vt nouo  
dignitatis gradu redux ab Rege augeatur, sed huic interim dum illic  
moratur, crimen instat perduellionis si quid, etiam nihili, cum quo-  
quam mortalium extra Sinas, scriptis aut nuntiis communicauerit;  
quod ab annis retro quadraginta etiam Colaus, grandi suo malo ex-  
pertus est.

Hactenus de ingenio, moribus, & Republica Sinarum, lucem histo-  
riæ quam seribo necessariam acciui; nunc de illorum superstitione, de  
Christi Religione sacrosancta sæpius illuc ab æuo inducta, nunquam  
fatis firmata; postremò de longa, & ardua expeditione qua illam Pa-  
tres Socteratis Iesu restituere sunt aggressi; ac libris tandem sequenti-  
bus quo arumnarum & opere pretio, quantisque lucris animarum.

An Sinis vnquam veri Dei affulserit vlla lux? an vero annorum qua-  
tuor millia (tot saltem ipsorum annales numerant) in cæca penitus il-  
lius egerint ignoracione, diu inter illos à nostris certatum est, neque  
id sterili sciendi studio, sed necessitatis qua vrgebantur statuere, sibi-  
ne fas esset ad significandum Deum iis vri vocibus quæ ad hoc Sinen-  
sibus in vsu erant; nam si Deum nunquam agnouerant, qualis saltem

71.  
An Sinæ o-  
lim Doum  
agnouer.

à rudibus natura monstrante discitur, nec instituere vocem potuerunt quâ incognitum nominarent, sed quibus uti consueverant, iis aliquid aliud errore conceptum exprimebant quod ab Dei natura quem semper ignorassent, abesse longissimè, nefas esse proinde voces illas ad significandum Deum adhibere. Huic difficultati à Theologia quantumvis eliquata lumen nequit affundi, nisi ex communibus ortum principis, & incertum: versatissimum esse in lingua historia & institutionibus Sinarum esse oportuit, qui sibi hunc nodum soluendum assumeret, quod certè nisi arroganter audere non possit, qui viginti vix aut paulò pluribus in regno Sinarum consumptis mensibus, id voluerit attentare. Nostri quidem confertis illie in Evangelica expeditione, annorum viginti, & triginta stipendiis, quidam etiam supra quinquaginta, Sinisque ab ipsis Magistrorum affecti honoribus; ne quid temerè in hac re censerent, applicuere operam seriò ad relegendos Sinarum scriptores, authoritatis primariæ, Confusij Doctrinas, & Philosophorum super iis enarrationes; ad hæc Literatorum præstantium, tum Christianorum, tum etiam Ethnicorum cum sententias rogassent, quicquid utramque in partem collegerant, reuocauerunt ad Theologicum examen acerrimæ disputationis, ex qua digestas in tractatus assertiones Remam transmiserunt, amplius etiam, & exploratius cognoscendas, quas anno 1622. & octo consequentibus è Sinis huc missas habemus præ oculis, tam pridem & illic & hic agitata quæstio fuerat, quam nescio quis tanquam valdè nouam videri voluit in Europam portasse, quæ mihi fuisse necessario præmouenda nemo non prudens intelliget, ut scirent quos iuuat diuersa sentire, an societatis operarij, ministerium Evangelij, vel cæco impetu per ignorantiam obeant; vel priuato arbitratu per confidentiam. Nunc quæ fuit summa quæstionis grauissimæ; visi sunt Sinæ Dei notitiam principio habuisse, non ea solum coniectura quam præbet virtus heroïca Præscorum inter eos Regum & progenitorum tanta ut absque errore credi possint etiam salutem consecuti, quod esse profecto non potuit nisi præuia illa cognitione summi boni & causæ omnium supremæ, in quam naturæ oculus, ut primum euigilauerit statim fertur; nisi fortè illam Dei notitiam, citra curam ratiocinandi hæreditariam, ab imperij sui primis Patribus hauserit, qui ab turri Babelis quocumque versum colonias duxerant. Hanc enim Sinenses antiquitatem sibi attribuunt. Sed his quanquam momenti non leuis in præsens omisissis, ipsa illorum sacra monumenta, Evangelij honore ab iis habita, & vetustiora multis seculis ante inuestam in Sinas idololatriam, & subsequam idolorum cultui atheisimum, illæ, inquam, tantis authoritatibus munitæ scripturæ, Dominatorem agnoscunt spiritum vnum, ac supremum, eaque illi attribuunt tam magnifica & excelsa, quæ prorsus non possint in alium trahi; omnium quæ sunt spectatorem oculum & intelligentem; orbis totius imperium, & prouidentiam; pœnarum, & præmij fontes inter, & probos supremum

mum arbitrium; ad hæc tempestatum, imbrum, sereni squalentis, & naturæ omnis sæpius deuiantis emendationem; quam item ob causam, quantumvis Reges à primo illo defluerint Religionis instituto, iubent illum sublimem & vniuersorum Dominum spiritum sacrificiis placari, & voti compotes Eucharisticis laudibus celebrant. Porro huius non vnum est nomen. Solent Sinæ multis & grandibus titulis grandia nominare, haud ita tamen vni affixis significatui, quin ad significanda etiam alia conferantur. Ex hoc proprio linguæ vsu Deus apud Sinas multis nominibus appellatur, sed præcipuè duobus. Vnum est Scianti, & Regem sonat, seu Monarcham supremum, qua voce pariter summum illum quem diximus spiritum nominant: alterum est Tienciù, seu Cæli Dominus. Imo Tien, seorsum cælum significat, non hoc oculis nostris spectabile, sed qui regnat in eo Dominus, cuiusmodi forma sacræ paginæ stylus etiam frequenter vtitur, certè hos esse affines sensus videtur confici ex scriptis Confusij, cum ait in cælum peccanti, spiritum alium superesse nullum à quo veniam exoret, quod parum ab illo videtur abesse prodigi pœnitentis; *Pater peccati in cælum, & coram te.* Vnde fit etiam clarius discrimen inter Tienciù, hoc est Deum, & Tiensein naturas minores, & bonos genios, penes quos nulla sit potestas peccata delendi, sed penes vnum Deum. Comperit præter hæc P. Franc. Buzomius, Coeincinenses, cæli nomine colere summam mentem, de qua eadem prædicant quæ Sinenses scripturæ de Deo, & in libris sectæ cuiusdam idolorum, Tienciù cum legisset, ait ab se de illa duos seunctim consultos diligenter sectæ illius Archididascalos, idem ab vtroque responsum tulisse; Tienciù nec simulachrum esse, nec principio, quod scirent, nec figura describi, sed rem esse sanctissimam, cuius proinde inuocatio solis Principum, & regum funeribus seruaretur: ac, si quid etiam huc facit, addit ab se coactum dæmonem quem exarceptio pellebat, profiteri palam, cuius imperio torqueretur, & exturbaretur ex eo corpore, Tienciù respondisse, cæli Domini, quem adorarent Christiani. Duabus igitur inuentis vocibus quæ instituto veteri, & præsentis vsu excellentiam indicabant omnibus gradibus perfectam, nihilque secum trahebant quod non optimè in Deum conueniret, spretia Riccius nouitia quadam Literatorum recentium explicatione; constare censuit; innotuisse olim Sinis ab antiquo Deum, & supremum hunc Regem ac spiritum Scianti & Tenchiù ab iis nominatum, quorum ferè priori Riccius; secundo ex nostris alij deinceps vsi sunt, probante plurimam Theologorum confesù grauissimo, inter quos Iaponum Episcopus, Prouinciæ inspector Valignanus, præstantes ex Sinis Christiani Doctores quibus visum non posse alia Deo propriè nomina tribui, certoque iis propriè fuisse à Præseis Sinarum Magistris, & Scriptoribus vocatum. Anni fluxerant sexaginta, ierantque passim illa nomina in nostrorum libros; in cartas ad Regem & tribunalia supplices, & in lucubrationes encomiasticas, adeo absque

71.  
Dei nomina  
apud Sinas  
concertatio  
de iis accu-  
rata.

vlla.



vlla vel in Christianis offensusiuncula, vel æquiuoci umbra in ethnicis, vt mota interim aduersus legem Christianam, eiusque præcones tempestate, damnata sit exilio lex Tienciù, quod nihil haberet cum regni sectis & Religionibus commune. Hoc verò in vsu vocum duarum pacifico, pridemque legitimo: P. Nicolaum Longobardum subit transuerfa de iis dubitatio, reuocat illas ad incudem, improbat tanquam malè tutas, atque vt erat in Sinensium rebus & literis diù versatus (in Theologicis non item) multos traxit in suam sententiam qui præstare aiebant ad securitatem si Latino nostro vocabulo, Deus, significaremus Sinis, Supremum omnium conditorem, etsi vox illa è Sinarum ore in monstrosum quiddam, & significatus inepti exiret, quòdque D, litera & caracteribus careant quibus nostras omnes expriment syllabas, Teusu, pro Deus efferre cogentur. Id tamèn iactabat Longobardus ab Xauerio præstitum in voce Iaponica Dianici Deum apud Iaponies, hoc est solem magnum notante, cernensque latum inter illam vocem Iaponicam & duas Sinenses diferimen, quod illa rei corporeæ propria, non possit Deo propriè quadrare, sed translata dum taxat; possent autem Sinenses duæ Scianti, & Tienciù quæ spiritum aut Monarcham supremum, & cœli Regem indicarent; in his etiam Longobardus fingeat sibi corporeum aliquid latere. Opinione Longobardi tuebant præ cæteris exultabantque fratres nostri Iaponij, studio quidem probo sed ignorantia crassiori, cum linguam Sinarum non callerent, quam præcipuè attendere oportebat, suam vnã spectarent Iaponicam ex qua propterea nihil confici poterat, quod fuisset semper Iaponia idolorum addicta cultui; & quicquid haberet ad significandos spiritus, & expertia corporis, id omne falsis, & erroribus scateret. Quæ ratio P. Ioannem Rodriguez diù inter Iaponies breui inter Sinas versatum acuit ad multa contra nomen Scianti scribenda, cassa pariter, & futilibus nixa fundamentis. Quod autem Longobardum ac suos mouerat, adeo tunc nouum non erat, quin ante annos quinquaginta fuisset à Riccio diligentissimè disputatum, & pro argumento nullius ponderis reiectum. Disputationi ansam dederat noua Literatorum secta quadringentis ab hinc & quinquaginta annis orta, Sumi familia imperante quam regno Tartari spoliarunt. Eius Academiæ pestilens, & nefarium dogma spiritum omnem, probum, & improbum tollebat de medio; negabat animæ immortalitatem; scripturas suas veteres quibus tam manifestè tenebantur, vt ex iis sese non possent euoluere (adedè clarè Deum, Angelos, & dæmones loquebantur) detorquebant in physicas explicationes nescio quas; Scianti, & Tienciù aliud non esse, præter auram cœlestem qua cælum in hæc inferiora influeret; Angelos influxus intelligendos esse beneficos; dæmones verò maleficos; alij materiæ quam primam dicimus; alij cuiuspiam agentis principio motori singularium causarum omnia tribuebant; omnes consensu sacrilego contendebant spiritum omnem abolere, omnia in  
corpus

corpus confundere. Ad perpetuandam gloriam inuenti sceleratissimi libris illud Typisque mandarunt, quos voluptuosæ nouitatis, & laborati sermonis illecebra statim Literatis cum auiditate incredibili commendauit, cuiusque ordinis magnam partem in eundem rapuit errorem, quòd ergo Scianti, & Tienciù ab antiqua & vera, in nouam & falsam significandi vim horum interpretatione vulgò transiisset, negabat Longobardus fas esse de Deo illa in posterum dici, vt cuius naturæ essent omninò contraria; nitebatùtque vocabulum Deus interpolatum, & mutilum, eorum loco inducere; è contrario Alfonso Vagnonius post annos quinque & viginti Sinensis commorationis, doctæque experientia, cum PP. Trigaultio, Rho, Figheredo & aliis, possessionem uocum Scianti & Tienciù legitimam Deo, & Christianorum vsui auctoritate & rationibus validè asserabant. Ex libris quidem veritatis apud Sinas canonicæ loca Vagnonius protulit tam clara, vt iis reuictus cederet cum suis Longobardus, vt enim eximiè Doctor Paulus, Sinensis ille sanctus (de cuius immortalibus meritis erit aliàs dicendum) vbinam toto seculorum decursu quadraginta inuenias Taichie, hoc est materiam; (quam hic etiam Philosophi primam vocant) templo vel sacro ab Sinis honoratam: non est igitur illa, is spiritus omnium Dominus, Scianti, & Tienciù, quem templis & aris Sinenses, à prima sui origine coluerant, Rex ipse toties quot annis sacrificio veneratur, Scripturæ Sinarum concretionis expertem, & puram mentem, omniumque dominam prædicant, cui propterea sacra fiunt, vota nuncupantur, funduntur preces, gratiæ aguntur, quorum nihil penitus, primæ materiæ, nec auræ illi cœlestium affectionum vehiculo; nec illi, quisquis est, motori vniuersali non libero nec intelligenti defertur. Ex quo necessario sequebatur illas suo cum textu pugnantes expositiones, euidentis argui falsitatis, nec possessionis longinquitate præscribere, quam tot sapientum, & Literatorum scripta egregia euerterant, dum eas esse à vero alienas, & partus leuis cerebri conuincebant: quod certò adæliquere statuerunt Doctores, Paulus, Michaël, Leo, Philippus, Thomas, itque ingenij & excellentia doctrinæ non impares, firmamenta illius Christianitatis, vt contestarentur Patribus nunquam se ab vsu Scianti & Tienciù abstuturos, nunquam aliis uocibus nominaturos Deum seu peregrinis, siue Sinensibus, se librorum suorum melius sententiam capere quàm Patres; vt ij vice versa erant in suis, quàm in Sinensibus expeditiores: non posse Sinas nisi per summam iniuriam eo probro inuti, vt putarentur abs Dei notitia quam ipsa suggerit naturæ ratio, fuisse perpetuò extorres, interesse quin etiam ad Christianam fidem quàm maximè, ne opinarentur homines Deum quendam à nobis inachi peregrinum, nec vnquam auditum; sed iam inde à primis Sinarum maioribus, & conditoribus sapientissimis adoratum, in suos honores, & violata iura restitui; nam si fas non erat induci à nobis vocabulum *Deus*, nisi adiecta explicatione quæ Sinas doceret naturam diuinam eo Sinis

ignoto, & barbaro nomine comprehendendi, quanto prudentius notis pridem tritisque vocibus Scianti, & Tienciù, sua erat germana & vera explicatio reddenda? quod quam falso tam cautè fecissent qui sectam spirituum Toachiao Imperatore Ceo fabricarant, dum Scianti titulo quosdam spirituum ornarent, sed frustra omnino, cum sensum Scianti apud Sinas Canonicum, præter Christianam nulla ex vero concipiat, assequaturque Religio. Hæc & alia quæ prudens omitto etsi vehementissimè yrgerent, vetuit tamen P. Andreas Palmerius, Sinen- sis inspector missionis graui obedientiæ præcepto Scianti vocem vsur- pari. Haud quidem aiebat ipsemet, ignarus quid liceret necne; sed quod impugnantur acrius quàm Tienciù, existimabat tutius interdicare illius vsu; flocci pendens quod inde non temerè futurum timebatur: Certè sensum Doctorum Sinen- sium Manuel Diaz senior, vir doctus, & prudens, suis ad Vitelleschum Præpositum literis expressit anno 1630. nempe Mandarinis certo certius affirmare, Scianti nomen Deo conuenire quem eorum maiores mentem puram fecissent, &c. Ad hæc rideri ab iis interpolatores qui Scianti cælum, vel influxus cælestes interpretarentur; Doctorem Leonem, qui scriptis acris Christianam fidem propugnabat, indignè admodum tulisse quod Patres nostri pate- rentur commenta quorundam iuuenum de Literatorum ima classe plus apud se habere ponderis, quam textus disertos Præceptorum, & recentium Sapientum qui docent Scianti mentem esse intelligentem, iustam, &c. Non posse satis Mandarinis eosdem Christianos mirari, de Scian- ti voce nunc demum ambigi, quam diuturno assensu probassent primi nostri Patres, doctrinis Sinen- sium excultiores utique quàm illi à quibus præsens dubitatio mouebatur. Perstrictam acerbè, doctrinæ huius no- uitatem, ab collegis Doctoribus Leone & Ignatio, Paulum verò Do- ctorem, vt ingenio mitjorem, omi-ssa Patrum reprehensione, confir- masse, collatis inter se quæ vetera traderent Sinarum monumenta, cum Christianis institutis, posse Deum, Scianti nomine appellari, sibi-que ad hoc, & aliis solenne esse illud nomen, aut solitarium, aut Tienciù adiu-cto. Præter hæc Iè Colaum, magnum illum Pechini dum rexit, post verò in sua Fochiensis Prouincia nostrorum Patronum, cum P. Iu- lium Alenium de orbe condito, eiusque conditore, & gubernatore, li- bero, intelligente, iusto, &c. fusiùs audisset; hunc, nos etiam, inquit, Sinæ agnosimus, & Scianti voce nominamus, sed nostis de illo mul- to plura quàm nos, illum enim mundo priorem facitis, quod nobis hæcenus ignotum; facitis spiritum, quod nondum succurrerat dubita- re; at enim vestra lex hoc ipso quod peregrina est cum multis pateat æmulis, è re vestra fuerit hunc orbis opificem Scianti nominare, adie- ctis quæ vobis comperta sunt illi conuenire, licet à nobis ignorata. Sic vos & pronius audituri sunt Sinæ, & minori conspectu æmulatorum, ex- ceptari-que de diuinis quæ prædicantur à vobis, docilius: qua item ex causa Ricciò amicissimi quique plurimum suaserè vt Scianti vocem ad nominan-

nominandum Deum adhiberet, ut eorum maiores quorum etiam tum venerabilis erat memoria, quod norant in orbe vniuerso excellentissimum Scianti vocarant, & tanquam supremum, supremo honore coluerant. Tandem verba ex quibus Longobardus Scianti dictionem putat se merito damnare, longè alio sensu, Patres qui secus iudicant, & Mandarinum Christiani accipiunt; negantque inter Sinas vnquam extitisse, qui ex Scianti nomenclatione Deo attributa somniant, Christianos & Sinas vna eademque lege colligatos, quod se Longobardus à multis audisse iactabat.] Hæc suis literis P. Diaz. Nec reor pluribus confirmandum quod proposueram, Sinas principio, veri Dei cultores extitisse, sed precedentibus seculis cultum illum prout à primo suo ortu longius abscedebat, sic deterius habuisse, & in nouam semper degenerasse superstitionem, quam Patres purgare adlaborant: in quo mihi videor abundè probasse, quàm non leuidensè, nec vna defungendi causa, sed sollicitè multumque sapienter ministerium Euangelicum implerint, nec illa egeant censura quam iis oprarunt hæretici, tam malè quam spontè creduli spectandis in transuersum quæcumque à nobis geruntur, de quo ex Batauis dum hæc seribo, liber quidam in manus meas venit; nam si quæ culpa nostrorum illic fuit, diligentia potius nimia, & seuerioris accuratationis, quàm temeritatis, aut negligentia, fuisse culpam, ex iis quæ retuli, nimis liquet.

Nunc ad ritus Sinarum sacros quod attinet, omnis eorum religio secta triplici continetur; fanis enim aliquot raris, & Proseuchis vagi non veniunt in hunc numerum Saraceni & Hebræi: tres illas familie regnantis fundator probauit, ne si aliquam illarum proferberet, occasiones tumultibus, & rebus nouandis in suo imperio præberet, ergo omnes de se suisque posteris regibus perpetua lege securas esse iussit; certè quidem eo propensius quod quanquam inter se instituto, ac finibus diuersæ planèquè contrariæ, quicquid tamen potest beatitatis optati ab omnibus, de eo sibi singulæ applaudant, sibi que id certò spondeant, ex quo illarum inter se summa pax, & ea ex parte regni quies. Prima enim sectarum honori potissimum studet, & ad præfecturas tota contentione ingenij ac prudentiæ grassatur, tota proinde colendo & perficiendo animo ab incunabulis ad decrepitem senium incumbens. Altera huic planè opposita, & multum de quadropede sapiens, effraenibus studiis, sensuum sectatur voluptates, & hac asinorum beatitudine contenta, mentem, & ingenium flocci habet. Tertia priori similior, secundæ aduersa, corpus atterit labore spontaneo, pœnisque vitroneis, ut cordis munditiem assequatur; Maiorum statuta ne qua parte Rex videatur infringere harum reicit nullam; omnes vel profitetur, vel simulat. Prima Tuchiaio nomine reliquis duabus magno spatio antecellit, habetque illas pro famulis, atque aduertit Matthæus Riccius Literatorum magis Academia est quàm secta, & Religio Ethnicorum,

L 2

73.  
Tres sectæ  
apud Sinas.

templis caret, simulachris, & Sacerdotibus, nec sacrificia, nec ritus habet nisi civiles, politici cultus, & promiscuè omnibus obiri permisos, ut qui nihil sacrum contineant. Esto enim paucorum vel impietas vel ignorantia nonnulla eos superstitione fœdauerit, sed hæc Sapientum iudicio damnata est, & ludibrio habita, ut propterea nihil veter quo minus possint generatim Literatorum ritus civiles appellari, & ex prima sui institutione innocenti, & pura à Christianis usurpari. Porro hanc Literatorum vel Academiam vel sectam, qui Atheorum dicunt, meo iudicio perperam longèque à vero sentiunt, cum Monarcham illum supremum, & cœli dominum semper ab sui exordio adorant, offerendumque illi sacrificium, propter excellentiam maiestatis, non putant posse conuenientiùs alteri, quàm Regi committi: venerationem verò præsidum geniorum, qui partes orbis quatuor, annique moderantur, & similium, tanto superioris ordinis, quanto latioris imperij, hanc amplioribus Magistratibus assignat; minoribus autem custodes vrbum, montium, & aquarum colendos attribuit, sed in veteres ritus tam multa nunc irrepunt improba, ut iis antiqua præfocetur illorum integritas. Facit huc Priscorum apud Sinas Theologorum stylus, ij cultu publico afficiendos spiritus populo representaturi, formis abstinebant corporeis, quòd intelligerent mentes illas ab omni concretione materiæ esse alienas, ergo in pictis elegantissimè tabulis, eorum nomen aureo scribebant caractere, illasque in templis, & aulis, aduentum venerationi exponebant: subtilitatem hanc auorum, excepit nepotum religio crassior; eosdem genios penicillo & scalpulo humana effigie expresserunt (saluo ut etiam apud nos sit, veri iudicio) & mutuo sumpta ex sensibus ad subiiciendas animo rerum imagines, discriminante ab iis quæ sunt naturæ spirituum propria; quare Literatorum secta ex originis suæ documentis primariis abest ab Athiæ impietate longissimè. Verum enim verò senectuti rerum offundit caliginem ipsa seculorum longinquitas, nec minus animi quàm corporis luminibus ætas nimia officit; accessere ad hanc cæcitatem magisteria errorum plura etiam quam sectarum, vel nata inter Sinas, vel purgata peregrinitate ab iis adscita, hinc ille quondam tam illustris, & fulgens Veri summi splendor, purarum mentium & Dei notitia in eam sensum degenerauit obscuritatem, & tenebras, ut certaretur vtrimque an essent spiritus, & an esset Deus? verique inueniendi proiecta spes, statueretur saltem in eo standum in quo minus foret errandi periculum, hoc est premendum silentio hunc nodum, nec inquirendum de cætero an esset Deus? quo item silentio quæstionem illam sepultam voluerant tanquam nullo disputationum extricabilem nisu, an esset ab æterno mundus? an certo tempore conditus; superuenit his spuria quam dixi natio interpretantium de materia & principiis naturæ quæ antiqui Sinarum Magistri de Deo & Angelis scripserant, quos esse quidem minimè negabant, sed scriptorum illorum conceptis sententiis nequaquam

74.  
Veri Dei notitia sensum deflux.

nequaquam probari philosophabantur. Hæc ab Theologis præstanti scientia, & peritia rerum Sinensium diu multumque disputata euicere id tandem, ne possit Athiæ macula Literatorum appingi sectæ, tamen in ea non desissent, qui priuatim apud se illud insanirent *non est Deus*, & ex ingenio pecudum sentirent animam cum corpore pariter interire; vnde illud eorum delirium, potiones ambrosias totis patrimoniis emendi ad perpetuandam in corpore hanc vitam, cui nullam fore credunt superstitem. Neque tamen ij secum pugnant, dum nihilominus functorum animas velut præditas sentiu, iis quos narrauimus honoribus prosequuntur; Duobus enim maximè nititur Literatorum secta, primum est regni totius communis; alterum priuata Literati cuiusque felicitas, virtute ac moribus paranda. Iam illi functorum parentum aut aliorum meritis impensi honores, vt viuos extimulent ad similia promerenda, & exemplo sint iunioribus ad eandem erga promeritos venerationem, adhibent largiter, & religiosè verum intra civilem rituum ordinem, nec ad solatium mortuorum, sed in viuentium documentum. Et verò iis etiam qui negant animum immortalem, non minus magnificè, diligenterque quàm aliis parentant, ne odio publico tanquam impij pateant, & factò suo filiis præeant, in negligenda maiorum reuerentiâ, & amore. At præ cæteris cordati cum ferre non possent, hominem iuxta, & pecudem pari æuo absumi, & aliunde existimarent immortalitatem, esse præmium meriti, non donum naturæ, aliam inire philosophandi viam: virtutem nimirum diuinitatis esse participem; quicquid animo inest corruptioni obnoxium tolli posse virtutis efficacitate; proinde etiam quicquid mortale est, purgari ad purum & attenuari tantoperè animum, vt concretionis impedimentum non sentiat, cui iam sit magis socius quàm corporatus; seiunctum ergo à corpore Deo iungi, & tanquam insitum arbori surculum, eius viuere immortalitate. Contra vitio crassescere animum, & coagmentatum corpori sic ei coalescere, vt eius vita viuat, eius corruptione corrumpatur, & pereat. Dignum potius laude quàm venia commentum; quod turba in tanta quadrupedum philosophantiam, saperent aliquid non humanum modo, sed superius humano: breuiter Literatorum schola, virtute sua se beans, & sustinens metra est antiquorum Stoa, præter virtutem seipsa contentam nullum ex virtute præmium expectans. Sed virginitatem quasi publico damnosam ab ea virtute exterminat; damnat Celibatam, Polygamos laudat, & proles numerosas; præceptum verò caritatis verbatim propemodum ex secunda tabula videtur exscripsisse, idque miris encomiis attollit; refert quin etiam Matthæus Riccius inter Literatos suo tempore vulgatum, ex Deo, natura, & mundo, corpus vnum constitui; eius corporis nos esse membra, proin communibus omnium commodis, rationibus, & amicitia, oportere ab singulis consuli.

Secundam sectam superstitionum effata stabiliunt priori planè con-

75.  
Secta idolol

Litteratis op-  
 pos. Simia  
 Christ. rit-  
 uum.

traria; Fechiaio dicitur, simulachris honores exhibet, iisque monstro-  
 sa specie, Amida potissimum, & Xicha, tanquam diuinitatis pæci-  
 piæ; publici negligens priuatis solum studet; animam docet immor-  
 talem, pœnas, & præmia post hanc vitam agnoscit; virginitatem lau-  
 dat; matrimonia, saltem tacitè improbat, quamquam nihil vsquam  
 ea hominum fœce flagitiosius, & inquinatius, porro hæc lues, cui etiam  
 nomen Oscianorum tribuitur, ego Bonziorum, vt solet nomino, ortu  
 extranea, adscitu indigena, euocata est per legatos ex Indostano, Gan-  
 gem inter & Indum medio ab Imperatore in somnis admonito; quonam  
 vero? & quando? Historici litigant. Inuictam in Sinas annis alij scri-  
 bunt ante Christum ducentis; alij post Christi aduentum sexaginta  
 quinque; quorum sententiam validè asserunt, quæ secta pestilens de sa-  
 cris Ecclesiæ documentis & ritibus videtur usurpasse. Deum enim in  
 tribus personis vnum, etsi nesciat explicare, tamen colit, simulachro  
 illum tricipiti effingit; matronam præterea Dei matrem quam cum te-  
 nero in vlnis puero exprimit. Felicitatem, & inferos; gaudia & pœ-  
 nas, meritis & sceleribus assignat, virginitatem, ieiunia corporis af-  
 flictationes, spontè susceptam paupertatem, contemptum fluxorum  
 bonorum, & solitarios secessus deprædicat; ad hæc cœnobia, & alter-  
 nos cantus, & recitationes nescio quas precatoriis nostris coronis si-  
 miles; quin & sacrificalem habitum & indulgentiam pœnarum, quam  
 impetrunt mortuis, & similia antiquis & veris Ecclesiæ ritibus, sed  
 enormibus fabulis tam impiè deformata, vix vt vllam suæ originis no-  
 tam retineant. Quare nec vlla fidei sacrosanctæ secta nocentior, quod  
 & veris quæ docet dum creditur, falsis etiam quæ miscet faciliè cre-  
 datur; ac dum falsa quæ ingerit exploduntur, vera simul cum iis res-  
 piciuntur: & inferos quidem vt aiebant, atrocesque in illis reorum cru-  
 ciatus fatentur, minantur, suis etiam in templis depictos proponunt,  
 omni crudelitatis variæ, & suppliciorum apparatu; at enim scelerosi,  
 ventris negotium in hoc agunt, dum sibi veniæ potestatem amplissi-  
 mam vendicant, quâ possunt inde reos educere, & æternitatem pœna-  
 rum iis condonare. Paradisum diis seorsim singulis assignant suum,  
 quo suos beent; in fundo maris; in verticibus montium, inter sylua-  
 rum densissima; in aperto vagoque aère; in mundo ex iis aliquo, quos  
 interminata vastitate vniuersi contineri aiunt innumerabiles: opinor ex  
 Democriti somniis; vti & transitum animarum in alia corpora, ex de-  
 liramentis Pythagoræ: certè mul erem. P. Gaspar Ferreira ad Christum  
 traduxit, spe huius fabulæ sic à Bonziis dementatam (quos erat solita,  
 stipe larga ditare) vt se in vitum renascendo putaret euasuram, & qui-  
 dem in Litterarum Ordine illustrem, quare iam inde Mandarinum in-  
 duta, Doctorum assumptis insignibus, quasi iam tum admota regendis  
 Prouinciis rugebat, & sortem promissam, præsentem cultu, & gaudiis  
 tanquam certam libabat; quem verò frigidius afficit cura huius lucis de-  
 nuo repetendæ, huic Bonzj alios sub terris fabricant, deingunt, & lau-  
 dant

dant Elifios voluptatum omnium, opum, & gloriae profusione fortunatos, & supra quam fingi valeat felices: at quos vitae per scelera tractata dura fors in hanc reuomit lucem, admissorum poenas lusturos, tranfmittunt illos in corpora bestiarum iis consentanea vitis quibus obnoxij fuerant. In his ergo illi qui sanctimoniam religiosius profitentur, tantum abest vt vermes quibus dirè, ac foede arroduntur excutiant, aut necent, ne fortè in patrem incidant, modico illo filij sanguine victitantem; vt aues etiam, pisces, & alias, praesertim nimias animantes emant, quas statim remittant liberas; in quo se putant satisfacere naturae de prole quam professione continentiae illi negant, cum transformatos, in bestias homines tam multos seruent. Haec Oscianorum Bonziorum secta, origo, disciplina, tantis est initio regni plausibus excepta, vt sola extrulis aliis illud occupatura videretur, aded illa quam spondebat animorum aeterna felicitas, Sinarum genium plus satis implebat, qui nihil aequè delirant quam vt in portione aliqua immortalitatem hauriant, corporis, vel decrepitam senectutem, in vires, & florem iuuentutis reuocent. Verum enim verò, Sinarum primos Reges sectam illam amplexos, cum tantus promissionum hiatus adeo fefellisset, vt medio etiam in cursu, miserè fortunis, vitaeque exciderent, coepit hominum detestationi, maxime verò nobilium patere; & gramen virulentum Imperatores aliquot, sed frustra, nisi sunt modis omnibus extirpare; suas deinceps habuit & fauoris, & odiorum vires; at eam nihil ita instituit, vt libri ab eius sequacibus infinito numero editi; deliramentis, esto, referri omnibus quaecumque possunt in stultorum cerebro feruere, sed iis verborum ac styli tantis pellaces illecebris, non modò vt auidè, verum etiam tum admiratione perlegantur, insinuantque ingeniis leuibus, sectae illius tam perplexos errores vix vt vnquam ex iis sese expediant. Accessit Reginarum superstitiosum cacohetes, mortuorum suorum leuandis manibus supra modum addictum, & in saturandis Bonziorum gulis idcirco profusum, quod venali se iactent pecuniarum venia, posse illos ex imis inferis liberare: ob hoc illae credulitate foemineae Bonzios opibus ditant innumeris, quibus caenobia, & templa construunt pulchritudine, pretio, maiestate ad stuporem augusta, mihi quidem olim narrabat Sinensis se quoddam illorum cum esset ingressus aegre deinde exitum reperisse; adeo multis, & vastis ambagibus, corpus tamen aedificij perfectum absoluebant, sed quanto pars quaelibet sanctiori fuerat dicata simulachro tanto interius, à vulgi oculis in penetralia recedebat. Vidit Pechini templa duo P. Andreas Palmerius; alterum sacellis duobus & septuaginta, tam capacibus fultum vt nulli eorum cederent quibus Romanae cinguntur basilicae, instructu vero pretiosissimo splendidis, & idolorum omnis generis populo confertis. Illic spiritus colebantur criminum vindices; hic benefici donorum largitores; inde propitij misericordiis pauperum; alia ex parte iustis querelis afflictorum, & suis cuiusque officiis, idolorum vultus respondebat,

76.  
Tépla idol.  
immensa &  
magnif.



debat, tetricus, benignus, arridens, attento similis; ad pedem altaris in quo prostabat spiritus simulachrum, turba præsto erat minorum geniorum iussis eius parata obsequi: alterum quod vidit Palmerius extra urbem templum, colossæis horrebat statuis, auro magnificè illufis, & nobiliori cuidam Deo circum adstantibus cui positum fuerat id templum, hic verò palmorum quadraginta in lecto distentus, presso in cervical cubito sustentabat caput veluti dormitans; carnes iacentis nudas, pannus tegebat attalicus, eratque hoc pium Regiæ delirium vt hunc illi pannum, grauiorem hiberno frigore, æstate mitteret leuiorem, narrat & aliis de templis quæ in Quancei Prouincia viderat sanè magnificis, sed ita contemptim, & sordidè habitis, vt ora Deorum autem, araneorum textura fœdaret, in hæc templa boni illi Literati ad geniales cœnas, comœdias, noctes ludo potu alacritate omni ducendas confluunt: cæterum ministris sectæ huius, nemo est qui ad parentalia non vtatur, quod ea schemate habitus insolenti, & pia cantuum specie plurimum cohonestent; quin & ij quoque qui negant animum corpori esse superstitem, eos nihilominus adhibent, vt ex pompa iustorum funebrium quæ suis exsoluunt maioribus, famam apud populum captent pietatis. Sectæ tamen nefariæ decus nihil ita persuadet vt opinio sanctitatis, austeræ vitæ vsu & studio collecta; huius æmuli vitæ, inontes syluosos, & nudos ruguriolis, & cellis replent in quibus se assiduè cruciant; alij quidem eorum in aliquo quos fingunt plurimos Paradiso vt locum sibi metentur optimum; alij vt in vitam defuncti renascantur priori locupletiolem, & idoneam ad gradum Literati. Euidunt quidam in cristas rupium tam conspicuas vndique quam abruptas, & in excisis propria manu cauis illic degant tantò gloriosius, quantò miserius: pauci quos virtus audacior stimulat, si quam procul notarint cauernoso in saxo specum dumtaxat corpori suo parem, in eam se longo demissi fune æternùm condunt, nunquam postea cuiquam mortaliū cernendi, nisi in ore suæ cauernulæ statuarum instar in pedes arrecti; alendi verò suorum alicuius miseratione, paucillum iis orizæ, & frigidæ in alueolo submittentis, sic Anachoreta, & Cœnobitas sibi adornat cacodæmon Christi & Ecclesiæ contumeliosus; sunt enim illic etiam Cœnobitæ, qui æris pulsu excitantur ad cantus alternis choris celebrandos quæ summa ferè est eorum sanctitatis, præ qua, de reliquo idolorum cultum facillè negligunt, quod sibi ex cantu funerum lucri plus sentiant quam ex simulachris accedere. Locant item externis cubicula quos in cœnobia pertrahunt, eorumque hospitium ministerio, & quæstu sordido cauponantur; superciliosa gens primo aspectu, at vsu si qua vsquam effrons & flagitiosa, notunt hoc iis addictæ feminae si quando illos præter leges Sinensis decori, pietatis gratia inuitarint; notunt Nicuæ (illorum Moniales) attonsa pariter vt illi, pariterque vt illi Virgines, nempe omnium singulæ, omnesque singularum. Fixo demum inter se atque immobili decreto emit quisque illorum puerum

(quæ

77.  
Bonzi) cœ-  
nob. & soli-  
tarij.

(quæ merx apud Sinas vilis & obuia) alit, educat, instituit, quem cellæ, instituti, & virtutum hæredem relinquat; quo si minus augendæ, conseruandæ saltem improbæ nationi ab iisdem quidem prouisum est, sed hoc ipso euadit in faciem hominum reiectitiam, & ita despiciatam, vt pecudis capite veneant, adeo illorum immania scelera, omnes illorum & latendi, & dissimulandi euertunt fallacias. Quamobrem sæpius Præfectorum iussu cæduntur publicè à carnificibus eo maiorem à populo gratiam inituris quò peius illos habuerint.

Tertiam denique ortu Sinensem religionis sectam, annos natam bis mille ducentos, nullus genuit parens, quem veneratur pro Magistro: nec scholam aperuit, nec discipulos finxit, nec libros reliquit doctrinæ suæ vicarios, homo bestia, & demens, hoc vno sapiens, quod cerebri sùt, quàm impias, tam stultas delirationes omnes secum voluit interire. Sed eas quidam eius necessarij resollas, in posterorum memoriæ protrudere; capti enim eius inuento quodam de rerum inter se diuinarum & ciuiliū ordine, quicquid dicentis ab ore lutulentum & absolum flueret, tanquam aurum tollebant purgatissimæ veritatis: inde illo mortuo hæresim concinnarunt, quam sectam Senis cognominant, quod putent illum quem audierant Laum, annos octoginta nascendo laborasse, quam nunc etiam fabulam Sinenses pro mysterio venerantur: at eius coæui Confusij inuida æmulatione, significare voluerunt, tanta Laum nascentem fuisse sapientia præditum, quanta homines octogenarij. Vitam in commune non agunt; suo quisque in late habitat; extra paucos sectæ solennes ritus, cultu proprio nunquam induuntur, capillos, & barbam nutriunt, discernuntur ab Laicis ligni tenuis corona quam suggesta in glomum comæ imponunt; quæ profitentur ingenti numero, fallendi ars omnia comprehendit. Chemicam igitur Vagi circumferunt; potiones spondent miscentque ambrosias, quibus homines senio, mortique præripiant; harum vim in seipsis ostentant, nam si post tria, & plura si libet secula in ætatis flore denuo exhibent; habent suis in templis suorum statuas beatorum, quos nempe nunquam mors attigit, sed vitæ saturos aliud ex alio adsciuit cælum; aut terræ amantes, iuga montium defæcatissima excerpere, vbi media solis fulgentiores luce, nullis obnoxij malis aut casibus, aura leuioribus æuum ducunt beatum, sed iis adspectabiles solum qui sectariorum oculos adepti fuerint: ac sanè pronum est creditu, illos inter mortuum deserta simulachris illudi visu gratissimis, cum toti sint in maleficis artibus, & Necromantas complures mitificè colant qui librorum suorum peste nefaria Sinas funestant, & regno tam latè lucem magicam propagarunt, quàm præcipiti ad eam libidine curiosa ingenia rapiuntur, aiunt hi tamen se nihil ex ea decerpere nisi quod bono communi proficit, noceat nemini; quod malos dæmones expellat; nouas ædes ab infestis casibus munit; moderetur ventorum & nubium impetus; morbos sanet; infortunia quælibet anteuertat; in quibus longum & otiosam sit

narrare quot modis, & quàm ridiculis lycophantari sinantur atque il-  
 ludere, semper tamen haud leui abdominis, & loculorum compendio.  
 Hoc pensi habet Taoistorum secta, qui & Taochiai nominantur, do-  
 cumenta verò nihilo meliora. Mille ab hinc annis deos agnoscunt mul-  
 tos, eosque corporeos; ab antiqua Theologia retinent quod ecclii do-  
 minum adorant, sed cum fabulis dehonestant vsque adeò fœdis &  
 abominandis vt præ illis Europa, Danae, Ganymedes, & ignominio-  
 sa reliquarum portenta libidinum possint videri casta, minusque cul-  
 panda. Et post hæc homines sceleratissimi, vitam à morte aliam expe-  
 ctant, & pœnas, & præmia, prout quisque dum viueret, commertus  
 fuerit; sed harum arbiter pœnarum quo iure scelera in hominibus pu-  
 niet quæ virtutum loeo ei attribuunt? vel quo pacto pensabit virtu-  
 tes, quarum inopia illum faciunt gloriosum? Et huc vsque de ingenio,  
 politia, moribus, & religionibus Sinarum. Nunc maius aliud sequi-  
 tur de vero Christi Dei & legitimo cultu, latè illic olim per integrum  
 seculum regnante, post sic abolito, vt nullum extet eius vestigium, so-  
 læ vero eiusdem reliquiæ sub terra lateant, in marmoribus & ære se-  
 melæ cruces & imagines sacræ, quas fecit sepultura ipsa superstites, &  
 prodidere identidem fossorum ligones fortuiti, ex quo factum vt pro-  
 curioso antiquariæ studio, caro emptas, & pretiosè asseruatas, nunc  
 demum fides Christiana protulerit, velut iuris sui antiqui, & posses-  
 sionis qua exturbata est olim, tristia monumenta. Prostant quin etiam  
 in omnium oculis, quæ de subruptis quondam sacratis ædibus, in pro-  
 fanam murorum fabricam sunt translata, maxime in Prouincia Fochien-  
 si, vbi murorum saxa quædam cruces referunt varia specie sculptas in  
 marmore, interque imagines Reginae Deiparæ nobilem sculpturam,  
 adgeniculantes sacris eius pedibus Angelos, & suspena hinc inde elich-  
 nia. Iam cum Ecclesiæ interfit plurimum recognoscere sua iura, & sa-  
 crosancti fines imperij ex quibus olim eiecta est, contendam hic illos  
 refodere quales mihi multa nec vana indagine fuisse visi sunt; vt eius  
 filiorum hoc stimulo, pungatur ardor perpetuo, ad paternas ditiones  
 postliminio repetendas. *Cazanates* igitur, hoc est, *S. Thomæ Sacerdotes*  
 quos de monte appellant, sito videlicet in *Malauare Indiæ*, *Comori-*  
*num inter & Calecutium*: ex *Chaldæo* ad verbum suis veteribus in  
 breuiariis hæc legunt [ à *S. Thoma depulsi sunt errores idololatriæ ex In-*  
*diis; ab S. Thoma, Sina & Ethiopes ad veritatem conuersi sunt* ] paulo  
 verò post, *S. Thomæ opera cælorum regnum volans ad Sinas peruenit*; & in  
 præcensione quadam *Indiani, Sinenses, Persæ, &c. nomen sanctum tuum*  
*adorant, dum S. Thomæ memoriam recolunt*. Præter hæc reperitur canon  
*Theodosij Patriarchæ*, inter synodica eius Ecclesiæ decreta, quo *Me-*  
*tropolitans longinquorum regnorum Præsulibus*, inter quæ primùm cen-  
 sentur *Sinæ*, indulgetur vt laborioso parentes itineri quo *Malabaris*  
*Patriarchæ* soliti erant se sistere, communis tantum fidei literas sexen-

nis

79.  
 De Christianismo non  
 semel Sinas  
 ingresso, non  
 semel aboli-  
 to.

nii singulis ad eum mittant. Neque tunc primum cum Indias ingressi Lusitani, Cocini imperarunt, sed ante, ac postea, Malabareses Patriarchæ in montibus, Metropolitæ Indiarum & Sinarum consuenerant nominari ut ex eorum patet Chirographis: quarum quidem probationum nolim propterea suspectam falsi priorem videri, quod Sinis ad Christum per Thomam Apostolum traductis adiungat Æthiopus qui Matthæo in sortem cesserant, cum potuerit facile Æthiopiæ amplitudo duobus Apostolis, materiam operis præbere, quam sanctis Bartholomæo, & Thomæ India præbuit: quod autem Prisci, & integerrimi Sinarum Annales ne per nebulam quidem, Christianitatis meminerint, mirum valde est ab iis opponi, qui scribunt illam inter Sinas ante annos mille floruisse, cum ex iisdem annalibus nihil possint pariter ad hoc asserendum elicere, nisi fortè, (quod lubens concesserint) Metropolitæ Malabaris, quem modo protuli, titulum. Anno itaque 1625. (vbi hæc fusiùs quæ hic tantum delibo) Saniueni, loco Prouinciæ Scensensis, dum nouæ fabricæ panduntur fundamenta, incidunt fessores in lapideam tabulam prægrandem, quæ magna gratulatione in apertum educta, Sinensibus literis plenè insculpta comparuit, nisi quod limbos Sirciæ veteres prætegebant, sed illic ignota. Excitus rumore accurrit Præfectus, & opratissimum antiquitatis monumentum sibi attribuit; alios etiam Literatos, argumenti & styli excelstitas pellexit, quam exhibebo alibi aptiùs, nunc inde hoc solum decerpo, fidem Christianam à Iudæa in Sinas anno Christi trigésimo sexto post sexcentésimum fuisse importatam, ea principum approbatione, & populorum consensu excepta est ut extruerentur vbique Christo templa in decem Prouinciis (plures tunc decem non censebant Sinæ) qua eadem cceptorum faustitate maiorem in modum aucta est per successiones Imperatorum octo (tot in eo lapide insculpti leguntur) quoad potentissimos aduersarios mens laua subiit, eam funditus delere. Tunc verò communi consilio Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos Sinarum, voluisse hoc lapide memores eorum fieri posteros quæ ad vsque annum septingentesimum octogésimum secundum accidissent à sexcentésimo trigésimo sexto quo Christi diuina lex Sinas intrauerat. Cætera lapis, caligo, & tenebræ quæ nulla ingenij luce discenti valuerunt, ac ni foret hic lapis peculiari Dei nutu ex terra erutus ne vestigio quidem deprehendi potuisset an Christum Sinæ vnquam essent amplexi, nedum apud illos an publicè adeo & magnificè regnasset, cum eorum annales ne verbo quidem huius meminerint: ad extremum lego in rebus Armenorum, Regem ipsorum Aytonem, armorum suorum Præfectum Principem Sinibaldum legasse ad Regem Tartarorum qui & idem Sinis imperabat, annis post millesimum ducentis quinquaginta tribus, & quarto post anno ipsummet Aytonem ad eum venisse, cum eo in Cambalu Cataij, egisse, hoc est in Regia Pechinensi Septentrionali, Mangu Cano sualisse qui vna, & Tartaros, & Sinas ab anno iam quinquagesimo Tartaris

C. 9. &amp; 10.

M 2.

subiectos, imperio regebat, vt damnata quam profitebatur exitiabili & falsa, saluiferam, & veram amplecteretur Christi legem; sub hæc tota cum aula ipsique feminis, multisque Principum Imperatorem Mangu Christo nomen dedisse; ab Episcopo Aytonis Cancellario facris vndis ablutos; Aytonem mox in suam Armeniam remeasse; nec subdit historia cæptone in Sinis operi succidaneam manum admouerit. Sed in vltimis saltem ad aquilonem Prouinciis vbi est Aytonis celebratissima Cambalu, Christi fidem tam felicibus natam principiis fuisse vbertim propagatam, confirmare videntur quæ recolo ex scriptis Matthæi Riccij. Paucis ab hinc annis comperimus, inquit: fuisse hic olim Christianos (& scribebat ex ipsa in qua tunc degebat Cambalu) maximè in his ad Septemtrionem Prouinciis; nuncupabantur *Adoratores Crucis*, crescebant tam grandi familiarum numero, literarum & armorum laude vt ante annos sexaginta Sinis fierent suspecti; dolo fortassis Mahometanorum. Sinis ergo cautè parantibus illos inuadere, omnes sacrilegis latebris fidem prestere Christianam, alij alcorannum, alij Mahometem, Iudaismum non pauci, magna pars idola professi sunt; sacræ illorum ædes simulachris dicatæ; illorum nepotes etsi crucis figura cibum porumque muniant, ritus eius nec sciunt, nec audent edere rationem, quin imo præ metu ex iis veteribus negant se fuisse prognatos, cum tamen ex ore, ac lineamentis clarè arguantur nequaquam origine Sinenses esse: scire mihi non licuit quibus aut literis, aut imaginibus vrantur, duntaxat vidi apud antiquarium mercatorem, sat factam fabrè campanulam æream, supra quam extabat ædiculæ sacræ effigies, crux huius pro foribus recta; tintinabuli ora, Græcis Characteribus inarabatur multis; Christianis illis indidere Sinæ vocabulum, cuius planè me latet notio Hocihocos, appellant, & addunt literam quæ denarium numerum exprimit, estque apud Sinas perfectæ crux quamquam erucis & vsu carent, & nomine. Isaios eosdem, hoc est, Iesuitas & Terzaios Mahometani dicunt, narrabatque mihi Armenus à Persis consueuisse iisdem nominibus Armenos compellari, ex quo fortè non leuis ducatur coniectura illos ex Armenia profectos. ] Hæc P. Matthæus Riccius anno huius seculi quinto compererat; Ego nihil hætenus aliud ex veteribus Sinarum monumentis eruere potui, de iacta non semel, inter illos lætis prouentibus, & miserè adeo, non semel obruta Euangelij semente, vt ne fibra quidem postremis hisce temporibus superesset. Calamitatis huius tantæ inuestiganda nunc est infelix causa, non vt constet modo quò referendæ sint ruinæ Christianissimi illius imperij; sed quantæ in præsens pertumpendæ fuerint difficultates ad eas instaurandas, & in posterum prohibendas. Cum enim Sinarum idem sit, & Literatorum imperium, abundetque ingeniis excellentibus, & doctis; superstitiosum, nihil aut impium suopecte instinctu olentibus, necesse est in iis, mentis bene cultæ optimam comparisonem, prauitate animi superari, obruique peruersitate voluntatis: accedit illa  
publici

79.  
Impedim.  
conuersioni  
Sinarum ob-  
stantia, illo-  
rum vitia.

publici ratio pro qua suos etiam in Reges audent; extraneos habent pro hostibus, utque nihil externum nisi ægerrimè admittunt, maximè in religione, ita nihil retinent etiam leuiter, & inaniter suspectum.

Harum priorem causarum omisi cum de institutis Sinarum agerem, quòd eorum per se spectandam præstantiam & vtilitatem haberem dumtaxat propositam; cui si pari morum, & rei politicæ cura insisteret sapientissima ratio, orbi vniuerso spectaculum foret admirationis. At enim mores apud illam ciuilitati ancillantur; virtutis speciem ambiunt ad dignitatem personæ quam sustinent (de literatis loquor) ut regni patres, & arbitri constanter obseruentur; odere ipsam spernuntque virtutem. Hoc porro quod solum prætexunt adumbratæ ad oculum virtutis filo prætenui, cum indomitas suas inhibere cupiditates non valeant, non possunt ea quin sæpiùs abrupto illo erumpant in scelera, & scissorem adspontent in præceps: quædam præterea vitiorum portenta vlti promiscuo etiam illorum qui probi audiunt, in naturam conuersa, impunè volitant, & grassantur. In quibus principem locum tenet adeo impotens & immanis libido, ut in eas turpitudines deformetur quas etiam barbari flammis damnant. Sinas verò qui solos nasci homines se putant tam longè hic omnis destituit ratio, ut sint brutis quibusvis fœdiores, quam fortè ab iis veluti Magistris insaniam Iapones duxerint, qui pestis eiusdem rabie laborant. Facile omninò inducor ut credam Sinas olim Tartaris in prædam, nunc ante annos decem fuisse traditos in præmium honestatis, & beneficium fidei sacrosanctæ, ut obsecnitate illa quam ferro & igni insectantur, purgatos Sinas, diuini spiritus capaces efficerent. Vicos enim integros implebat illa fœx iuuenum aut ab se vltro, aut inopia parentum, & auaritia Mangonum, libidini publicæ destinata. Estque item hæc Sinensum inopum licita, & continua improbitas, cuius ut filios, vilius quàm porcos mancipent, obsequio quolibet, siue flagitio vel occupandos vel sceleratissimè petendos. Neque verò id vnam Sinarum leges tantis laudibus decantatæ concedunt parentibus in proles nefarium, & impium, verum etiam ut vitam iis præcipiant quam fore prospiciunt in summa egestate, & seruitute miserissimam, quod aggrediuntur procliuius qui putant exutas corpore animas quærendo, inuenturas alicubi fortunatius corpus cui sese insinuent, ut in Literati cuiuspiam, aut locupletis grauida vxore, vnde alteram trahant vitam in omni genere felicem. Feminarum autem vulgati pudoris, etiam magnam partem matris lenonibus prostant quibusdam in vrbibus millia quadraginta, quamvis numerum vxorum nihil cuique definiat, nisi eas alendi penuria. His voluptatibus lutulentis à puero ferè cum imputruerint, clarum est iis quàm acerbis ad mentem veniat, imò & ad aures de Christiana honestate sermo, quem aliarum quoque nationum minus soluta intemperantia ægerrimè excipit. Cum iis indicitur vitum vna vxo-

re contentum esse oportere; Sinæ autem propterea exhorrent quod magnæ ducant infelicitati carere filiis, seque hoc nomine tanquam iure naturæ in multas vxores diuidant, quo earum saltē ex aliqua prolem tollant. Accedant his infamibus studiis, sensuum reliquorum emaculatæ illecebræ, Mandarinorum nemo quotidie manè foras prodit, nisi comptiori, molliori, delibutiori munditie, & ornatu curatus. quàm quævis apud nos sponsa cum domum ducitur, nec putat horas colendi corporis malè collocatas, si alienos oculos curioso sui spectaculo iucundè pascat. Omitto quæ pridem attrigi palatia & hortos, & omnes in iis delicias quæcumque possunt ab natura, vel arte suggerij, fontibus, lacubus, Eurippis, florum, & fructuum verè perpetuo, luxuriosis & prolis ad ebrietatem conuiniis, quæ si defuerit parum videtur vocanti amico satisfactum, & hanc eo vsque sibi dedecori non vertunt Sacrosancti illi Magistratus, qui diuinitatem quandam sobrij præferunt, vt per medium populum ebrij, super hominum capita reportentur domam dilabanti huc illuc capite, & esculentis vomitibus descædati. Hæc morum inter Sinas effrænis licentia, & Epicurismus, idēque temperantiæ Christianæ, vel inducendæ ingens obex, vel dirus expellendæ fomes. Sed huic planè opposita ratio, conuersioni obstitit feminarum, scrupulosa illa fratrum quoque ipsorum ab oculis earum custodia, & mortalium omnium foris domique vetitus aspectus, qui partem Sinarum mediam sacræ subducit Prædicationi. Deinceps tamen subinde occurrer, qua supra spem omnem indultia Patres Societatis has difficultates superarint, nempe illarum parentes, & maritos Christianis imbutos disciplinis adhibendo ad instituendas in eadem fide filias, & vxores, atque ad eò cum euinci aliud non potest baptizandas. Restant alia duo impedimenta fidei, regno communia. Vnum simulandi & dissimulandi ars tam perpetua vt non prius verba incipiant quam mendacia formare, nec Sinarum inter se consuetudo aliud sit quàm mutus inuicem deludendi ludus. Esto ficti falsique conuincantur palam, probro id nemini, ne optimatibus quidem datur. Verba vt nummum arbitrantur cuius adulterini vsus publico commodo indulgetur; qui pro legitimo & qualis videtur illum admiserit, non decipitur ab alio, sed ipse se fallit. Iam circumuepire alium cum ad rem tuam facit solertia est, cuius vtrunque larga conceditur capiturque vicissim venia, nec sunt vultus à linguis dissimiles, facus omnia, & larvæ: quare illic miseri externi, tunc solum deprehendunt cui credidisse debuerint, cum seipsis ex rebus deprehensos, & lufos sentiunt. Profitentur nihilo seciùs, fidelitatem Sineses mirant, seruantque nonnulli etiam mercatores, sed ij tam pauci, vt in reliquorum infinita colluie haudquaquam appareant. Secundum profeminandæ fidei obstaculum superstitio efficit quæ ipso ab Rege ad postremum quemlibet mendicorum, regnum inuoluit vniuersum: nihil quantumvis leuè inconsultis maleficis, diuinis, & sæpè dæmonibus quos pas-

sum

sim familiares habent mouetur; mittuntur sortes, momenta numerantur, obseruantur puncta situsque locorum bene augurata, tam puerilibus, & infinitis minutiis, vt mirum sit homines tam cordatos & ingeniosos tantum anilibus iis nugis infatuari potuisse: de inspectore omnium & Rectore, mentio nusquam vlla; ne cogitatio quidem consilij, & prouidentiae in inferiora: fortunae, fato, priuatae industriae, benignis influxibus certorum casuum omnia tribuantur.

His nihilominus multisque aliis Sinarum vitiis quibus dense progressus Euangelij praeccludunt, via vi spiritus diuini qua suos Christus operarios obarmat per quaeuis ardua fieri poterat, sylvaque illa immanium scelerum fulis vt olim caelo decinerari flammis, si patuisset ad illos aditus. At huic suarum rationum periculo praecauens caco-dæmon, Sinis metus iniecit imperij sui amore insano Zelotypos, odiisque aduersus externos insanabilibus incensos (maximè postquam Europa ingentibus animis, transuerso Oceano vltimū adijt Orientem) ne quo commercij aditu penetraret se vna Christi lex in regni viscera, & ab eius Ministris porrigeretur latius in gentem rationis admodum capacem: hinc leges in externos barbarae, capitales poenae, sempiterni carceris ærumnae, si vel audax cupido, vel ineuitabilis tempestas in regni littus eos coniecerit. Persuasit Sinis, fidei sacrae hostis, inuituros regni possessionem extrarios, si vel pedem in illud mitterent, potissimum verò si religiones secum intulissent ab auitis & patriis diuersas; reuocauit iis memoriam cladum quas seruabant suis annalibus consignatas, vt si vellent eas cauere posteris, nouas sectas, etiam domesticas cauerent, quae regnum factionibus lacerassent, ipsisque Regibus creassent periculum; essentque grauius fauiturae si Magistros & Duces sectarentur extraneos, qui regnum ingressi, nationum suarum armis ingressum in illud pararent. Militabat his dæmonum artibus contemptus externorum, quos praese pingunt, habentque Sinæ vt monstrosas, & viles bestias.

Verum enim verò hæc tam Zelotypa odia, suspiciones tam lubricas, & contemptus aded probrosos peruenit Lusitanus, primusque ab Sinis in gratiam, post domum quoque admissus est; conciliator vtriusque, idem vtrunque qui amicitias vbique gentium sociat, & dissociat quærit, & famas. Ostendere se Lusitani ad eas insulas quæ Sinas ab ortu meridie cingunt, cum Gaulo Regio ad pugnam si opus; si fas ad commercia eximie instructo; explicuere Sinis pretiosam, & peregrinam gazam quam vexerant; aurumque numeratò censendum venalibus sericis quæ poscebant ad nauis integræ iustum onus, Hanc asfulgentium luctorum gratam lucem, retortis oculis non refugit Cechianensis ad ortum Mandarinus; nec ad austrum Cantonien-sis; gratulantur aduentum Lusitanis; modum excogitant quo regni legibus integris, compendiosam occasionem non corrumpant; decernunt externis fore liberum suas merces, & pecunias in urbem inferre; pernocta

80.  
Primus in  
Sinis Lus-  
itan. ingres-  
sus.



81.  
Sancianum,  
& Macao.

pernoctaturis tamen in sua naui, & in ora regni anchoras missuris. Sic longinquè libatum negotium, & quot annis sensim familiarius prouectum, eò tandem perductum vt daretur iis portus, quo se à ventis illic furentibus tegerent; & solum vbi se quiete reficerent, suasque res in tuto deponerent, dumtaxat à continenti procul, modo hac, modo in aliis insulis, aut prorsus, aut prope desertis. Prima illarum è regione Iaponiæ Nimpi cornu, quod Liampus deinde à Lusitanis dictum; deinde ad australem plagam aliæ atque aliæ quibus Cantonienfis Prouinciæ limes prætenditur, atque inter has illa olim obscura, & ignota, nunc morte Xauerij, ac nomine nobilis Sancianum, vna ex tribus quas vocabulum Sanceu comprehendit, octana intra mare leuca; vmbriis quidem amœna syluestrium arborum; sed montosa inculca, inhospita, proin apta quæ permitteretur Lusitanis, cum eius versus Macaum acumen in portum desinat, capacem, & placidum, quem eius obiecta faucibus exigua insula præstat à Tiphonum rabie securum. Illic sua obibant commercia Lusitani & turgiorum sibi extra nauim ad nonnullam quietem ex virgultis, & fronde tenebant, quæ ventis post nundinas ad vela cientibus; læto incendio delebunt; graro Sinensibus fidelitatis, & modestiæ documento, quod tunc potissimum necessarium erat Lusitanis firmiori præsidio destitutis. Explorata enim aliquot iam annos illorum fides ad receptum promeruit insulam, milliariibus quinquaginta interiorem regno, nomine Hianseianum, saxosam, asperam, desertam, Quanceo vrbe primaria Cantonienfis Prouinciæ leucas distitam triginta, ea in fauces fluminis quod Quanceam fertur, promotorium mittit milliarium trium circuitu peninsulam faciens, isthmo tenui cum insula iunctum. Isthmum Sinæ ab ea transuerso muro distraxere, porta solum vnica peruo, eamque peninsulam Lusitanis dedere habitandam, suo quidem haud paulo impensius commodo quàm Lusitanorum, vt se Piratarum infestatione liberarent sua latrocinia perpetua subducentium in portum peninsulæ Lusitanis concessæ. Expeditionem Lusitani non modo in illos, sed reliquos etiam Prædones qui latè id mare percurfabant, libenter suscipiunt; verum hac lege, vt sibi liceret ab iis cauere, & munitiuncula extructa se portumque ab iis defendere. Quo impetrato fundare incipiunt illam hoc æuo cebratissimam Macaum, urbem, arcem, emporium locupletissimum vltimi Orientis; expectandis in Japoniam, Philippinas, Molucam, Cocincinam, Tunchinum, Cambaiam item, Sianum, & Malacam ventis, fidam, & commodam stationem vox Macag detrita (vt reliquæ tam longo itinere aduenæ in Europam voces, Amagao profertri debuit, quòd in eo portu; Gao nuncupato, idolum Amacoleretur. Dei quidem vrbs cum fundaretur vocata est, vsus vetustam Macao appellationem sapientibus inuitis retinuit; ipsa nec ambitu valdè ampla, nec ciuibus frequens, sola se ostentat mercaturæ longinquæ opportunitate, ac securitate, nam arce inexpugnabili fulcitur: vadolum

vadosum vndique circum mare, naues bellicas procul arceat. Par quidem & iis, & gaulis quantumuis immanibus quæ portum subeunt, sed necessariò coactis in eo ingressu murû propugnaculi radere sub ictu igniarij apparatus formidabilium tormentorum: à terra ciuitas in plano sex propugnaculis clauditur exquisito armatis ænei fulguris instrumento; & gemino ex colle duo præsidia egregiè instructa exterioribus imminent fulminandis, & accessu hostium prohibendo. Sic bellè ac prouidè comparata Batauorum crebras incursiones fregit, euasitque semper experientia illarum robustior; fixis ergo in hoc Sinarum aditu sedibus Lusitani; post Quanceum quoque per diem admissi, modo se in naues pernoctaturi recipere, tranquillè commerciis instabant, cum cœpit fœx hominum, quæ in multitudine nusquam deest, rebus Sinarum dolo, aperta iniuria, & rapinis admoliri manus, creuitque annorum processu facinus, quoad tandem multorum cruentis suppliciiis satisfactum est publicæ æquitati, haud tamen propterea desit illorum crimen in omnes refundi, Lusitani omnes haberi pro improbis, agi de illis criminose in aula Pechinensi; decerni (vt scribit P. Melchior Nunnius) iudicata sententia, homines esse suspectæ fidei; quæstum ab iis ducendum quem de suis præberent commerciis; ab iisdem cauendum tanquam latronibus, hoc ij titulo notabantur, habebantque offensos prædem Mandarinos, quod eorum nonnullos, diuinis prope assuetos honoribus comites Legati Lusitani tractassent contumeliosè; nec tulissent illum minus honorificè in Sinis quàm in Lusitania obseruari, cuius tumoris, & imprudentiæ honorarium hoc fuit nemo vt Legatus ex ea natione per annos aliquot sit admissus: accumulandis quoque ad vera mendaciis, accusabantur plagiarij aduersus indigenas & cæcorum ad paranda conuiuia illorum carnibus, quod ex vulgi rumore ita crudè arreptum vt quidam propterea Lusitani atrocissimè torquerentur alij ægrè calumniam purgarent, sed viros prudentes mouebat grauius quod mari tantum possent Lusitani; spectabant iniquis oculis formidolosas eorum naues, ad quas nauigia Sinarum bellica erant speculæ instar ad arces inuictas: earum machinas longè alias ab suis longa serie minaces; Falancas vocabant, Francas volentes intelligi, quam vocem cum R. littera careant, ori vt possunt accommodant, harum mole, armis & vitribus nauium, non solùm à Francis domita maria, sed magnam partem Indiarum, atque adeo Malacam olim suam insulurrabant Saraceni à quibus Franci omnes dicuntur Europæi, & vox Falanchæ, seu Franchæ illuc inuecta est: ac nisi Cantonenses Mandarinos Lusitanis, lucri promulsis fecisset mitiores, nauésque illæ tantum fornicata, Sinas semper auxissent pecuniis & mercimoniis, Lusitanos adhuc malè consistentes, illinc Sinæ tentassent expellere quod nunc arbitror frustra foret. Ita nihilominus ardebant in illos odia vt in consilia publica interpellaret semper Orator aliquis de Lusitanis Macao extrudendis, nihilque adeò cauebat Doctor Paulus Sinensis Christianus quam ne id ad

81.

Odia Sin. in  
Lusit. vnde?

deliberandum poneretur, Patres verò ne existimarentur ab iis pendere, ne portis Macai in Sinas subirent, ne operariis inter Sinas alendis subsidia Macao nisi clam peterent. Simulandum denique iis erat, Lusitanos ad se ac nostrum orbem nihil attingere; quibus tamen satis caueri non potuit, quin suspecti cum illis miscere consilia, compelleretur Macao eiusque vicinia in interiora regni longius diffusa, quod suo loco, & tempore veniet explicandum.

Hæc de obstaculis fidei sacrosanctæ in regnum Sinarum; nunc de Societatis nostræ conatibus ad eam inducendam diu primum irritis, vbi Deo sic visum, per aperta tandem seculorum multorum repagula fortunatis. Nec dubium magnæ Xauerij animæ primam tanti boni post Deum gratiam deberi, Debellandæ Sinarum idololatriæ generosam suam expeditionem ad eorum conspectum portâsque prouexerat, conatûsque ingentis clara vestigia calcanda plus ultra fratribus, in Sanciano moriens signarat, cum statim omnibus iniecta certa spes Sinarum fores diu clausas, breui eius meritis referendas. Nostri ergo exinde per annos triginta, incubuere constanter in id opus ut opum cœlestium mercaturam eò saltem vsque promouerent, quò nundinatio terrenarum pertigerat; nec cassas sæpius & inanes contentiones illorum primas destituit ardor quo cœpta fortiter vrgerent, dum illuc denique primo ingressu euaderent vbi erat statio Lusitana, & longè interiùs in regno non iam incertas & mobiles, sed fixas sedes, statuerent, inciperentque Deo, & Ecclesiæ nauare operam, quam hodièque post annos octoginta pergunt in toto imperio nauare. Tentamenta irrita primus expertus est P. Melchior Nunnus seu Nugnes Socio Stephano Goefio, de quibus abundè alias: venerant interea ad Sereniss. Regem Ioannem Tertium sapientissimæ ab Xauerio literæ, paucis quàm obiret diebus data; quibus apud eum dolebat vehementer Ministrorum eius auaritiâ inexpleram obstare grauitèr conuersioni Ethnorum; nec regem illos vereri nec Deum; nec pluris nihilo facere si regna integra æternum interirent, dum ne procuranda illorum salute, rationes suas sentirent vel obolo minui, & hæc eos audere tam liberè quàm impunè. Subdebat de damnis Iacobo Pereria pensandis quibus eum Aluarus Præfectus Malacensis affecisset, legatione interuersa quam adornauerat in Sinas, vt amplissimum illud imperium nusquam aliundè penetrabile, Euangelio aperiret. Serò quidem ob casus maritimos, sed optato responso Rex sereniss. dignatus est Xauerij literas, quod Franciscus Cortignus Comes, Prorox creatus Indiarum proficiscens tulit, vnâque mandatum quo iubebat Rex in Sinas Legatum à se mitti Iacobum Pereriam, & cum eo de Societate quos ipsemet legeret. In procinctu erat Legatio; Goa in Sinas Gaulus soluit Aprili mense anni 1562. Iulio exeunte in portum subiit cum tribus è nostris P. Manuele Tessaïra F. Andrea Pinto, & Rectore illorum Francisco Peres sene optimo, & meritissimo. At enim aliis diuino consilio seruabatur honos, restituendæ in Sinas

83.  
Xauerij literæ ad Reg. Lusit. valde vtilis.

84.  
Irrita legatio Lusit. in Sinas.

Sinas post longa exilia fidei. Breuiter ista legatio per biennium mota, per se malè conferta, peius à Pereriæ æmulis turbata, ominatissima fellit initia, & de prope iam parata faustitate in fumos abiit. Inter hæc nostri quotquot ex India in Iaponiam mittebantur, dum Macai, vt solet, demum mensium mora operiuntur in eam ventos, illic Apostolici tyrocinij perficiebant rudimenta, & conceptum ardorem caritatis alebant seruorum Sinensium variarumque nationum curanda salute, qui dabant operā Lusitanis dominis nongentis incolentibus Macaum mille, interdum ex iis fidei regulis instituebantur, fructu subinde numero celeberrimorum baptismatum; auellebantur ab impuro Herorum obsequio seruæ, & à Mangonum nundinatione; quinquaginta semel in Indiam supra quadringentas transmissæ sunt, maritis locandæ; Malacam ducentæ: & hæc eo ccepta biennio quo adornabatur legatio, in usum deinceps perpetuum transierunt. Accessit his Sodalitas frequens ex solis Sinensibus conflata, vt peculiari diligentia Christianis officiis, & virtutibus informati, exemplo apud suos & Magisterio fungerentur, quæ res vsque Quanceo trahebat complures ad cernenda explorandæque mysteria Theologiæ peregrinæ, quibus catè perspectis ardebant desiderio facti fontis, si per Mandarinos suos licuisset. Maiorem tamen frequentiam auebat Macaum sanctioris hebdomadæ, & Paschæ solennitas, quæ Lusitanorum consuetis & religiosis studiis celebrabatur nobiscum singulari pompa, & cui parem Sinenses magnitudinis suæ adoratores summi, negabant se vsquam vidisse, quæritabantque inter se taciti, quantam nostro in orbe & patria esse oporteret, illorum rituum maiestatem, qui arcto, nudoque in scopulo tam magnificentè agerentur. Valuit hic splendor, & reuerentia sacrorum ad conciliandos nobis Mandarinos, impetrandamque Macai habitationem tum iis paucis qui iam illic degebant tum qui Iaponiam adituri, ventos illic præstolarentur propitios, datum est diploma eius facultatis anno 1565. deditque Collegio felix initium quod illic P. Valignanus Goanis contra vi magna nitentibus denique stabiliiuit, ingens nunc rei Christianæ inter illos populos firmamentum. Biennium fluxerat in hac laboris fructuosi occupatione & euanuerat tandiù expectata legatio, cum Peres viam commentus est qua Christum se solo induceret in Sinas, planam, & eo expeditiorem quod nihil de lucro, & commodis olebat, quæ ferè Dei negotia corrumpunt: libellos itaque concinnauit duos, quo vtroque manu periti interpretis exponebat quis esset? quid profiteretur? vnde? quàmve ob causam ex vltimis terrarum finibus venisset? postremo supplex fieri sibi copiam rogabat in Sinis habitandi; his instructus libellis, anniuersario oblatæ in templo Deiparæ, supremo sessit tribunali Prouinciæ Quanceensis, & absolutis quibuscum venerat Lusitanis, suo ad latus interprete, reuerenter procumbit in genua, sedebant Mandarini quinque, suprema quisque diuersis in officiis potestate, stabant magno vtrimque numero Ministri, sic venerabundi vt

85.  
Nostorum  
opera Macai  
fructuosa &  
facultas ha-  
bit.

86.  
Peres quia  
unicè igna-  
tus vetatur  
in Sinis ha-  
bitare.

si totidem adstarent numinibus. Peres honore perfunctus multiplici qui Magistratibus de more exhibetur, ab iis vultu præter morem humano & hilari iubetur semel iterumque accedere propius, erigiturque ad petendum fidenter quod optabat; is verò libello supplici in mensa Pucensij, (Præsidis scilicet) deposito, nihil se præterea rogare demissè respondit, quàm quod iis duobus postulati vnus Apographis inerat. Lecta sunt igitur ab iis non sine admiratione, quæsitumque ex eo cuiusnam scientiæ illo scripto Magistrum se profiteretur? diuinæ, respondit, ac rerum ad æternam animi salutem spectantium, vt post hanc vitam fragilem, & breuem, beata viuat immortalitate, iussit hic Præses illum summatim edicere, qui possèt ea felicitas parari; Exorsus Peres à puris atque illustribus rectæ naturæ principijs, quibus insisit Literatorum secta, Decalogum iis recitauit; tantumque placuit, vt Præses Sericum Damascenum statim eius collo circumdari iusserit, Magisterij eius insigne legitimum, & lætum omen Lusitanis, fore vt Christi lex susciperetur illie propensius, vbi eius Magister tantam nactus esset venerationem. Quæsitum inde ex eodem de ipsius libris, inspectaque, quos secum tulerat magna voluptate: post demum, an linguam Sinensem calleret? quod cum ingenuè negasset; qui possis igitur subdit Præses inter Sinas cum operæ pterio manere, si perpetuo ad verba singula sit tibi necessarius interpres? hoc nisi obstaret, dari tibi posset quod expetis. Minimè verò, infert externorum Iudex, vultu & verbis ferox, vetant leges Sinarum externos in regno aut degere aut vagos discurrere. Sic benignè ab alijs dimissus Peres, nec repulsam tulit, nec impetratam rem; sed dilatus quoad amplius de illa deliberaretur; iussit tamen in posterum tentasse, quod tunc honestè negatum est; intellectumque imprimis quanti esset aliquos in promptu habere qui Sinicè nossent; deinde non esse ab eiusdem rei petitione abstinendum, donec aliquem Deus aut Prouinciæ Magistratum, aut supremum Rectorem inflecteret ad concedendam nobis stabilem in regno mansionem.

Sic fortius in Sinas, & clam suis quoque Præsidibus Ioan. Bapt. Riberæ ingressus, hominis maiora quàm benè consulta desideria gerentis, anno 1568. sic post annos septem Christophori à Costa supplicatio reiecta à Quanceensibus Mandarinis, vixque ab iis auditus Ma-  
caum repulsus est.

87.  
Valignanus  
conuersione  
Sinarum sus-  
cipit.

Huius magnitudinem operis destinabat Deus Alexandro Valignano, & Michaëli Ruggerio; Valignanus Iaponiam petens, dum Macai de more subsistit, tam multa de Sinis tam præclara audiuit, vt distraheretur incredibili gaudio, & dolore, hinc desperari in Sinas ingressus; illinc fiducia ingentis, Christum tanto imperio inferendi. atque vt erat magni, diuinis præsertim in rebus animi, & illos gerebat spiritus quos agendorum artollit, & acuit difficultas, suscepit hoc inter alia summi ad Dei gloriam momenti negotium, quod tentarat  
idcirco

idcirco Xauerius vt Magistri Iaponiorum Sinæ ad Christum perducti, Iaponiam secum traherent vniuersam: in quo illum nec spes egregij operis, nec ardor pietatis egere, vt solet, in præmaturus impetus, & impatientiam morarum; lentatis, longisque consiliis cuius tandem quod nullis machinis perfici posse credebatur. Cæpit igitur in his quos regebat, querere homines iis præditos dotibus non modo quas Apostolicæ vbiq; exigunt functiones, sed potissimum inter populos doctrina, ingenio, & ciuilitate eximios; explorare deinde quos facilitate memoriæ, rotundique oris volubilitate ad Sinarum linguam natura formasset, visus ad hoc primùm idoneus Bernardinus de Ferrariis sed eo sic alibi occupato vt adesse Cocini ad discessum nauium non posset, locum eius suppleuit Michaël Ruggerius. Huic erat patria Spinazzola, regni oppidum Neapolitani, & Dioceseos Venosæ. Natus anno 1543. Pompilij appellationem ex Baptismo & nominalibus duxerat; anno ætatis vndetrigesimo, seculi 72. adlectus fuerat in Societatem, die Simoni, & Iudæ Apostolis Sacro; Doctoratus insignia in vtroque iure consecutus studio decenni; noménque tunc Michaëlis præ Pompilio adamarat. Exacto quinquennio, & curriculi Theologici nondum emensus dimidium, Indicam missionem ab Euerardo Mercuriano impetrauit, & quinque mensium navigatione Goam applicuit die cruci exaltatæ festo, cum Vlyssipone pridie salutatæ Deiparæ soluisset anno eius æui 78. Credita mox illi ora Piscaria, earum olim Xauerio rudimentum Apostolici ardoris. Linguam barbaræ gentis breui iam sibi fecerat expeditam, et si alioqui difficilem, cum à P. Rui Vincentio nostris in India præposito improuisus Cocinum iubetur redire, vt inde cum Præfecto Gama in Sinas solueret; erat iam Gama in prociectu ad vela; mare tunc ab ora Piscaria procellosum, tempus angustius quam vt naui Cocinum condicto pertingeret; terra itaque Deo & obedientiæ merito confusus id iter aggreditur & per aspera montium, barbarorum infidelium odia, & pericula latronum, Gamæ intra decimum quintum diem Cocini se sistit, & cum eo soluens, Macaum Iulio appellit anno proximè sequenti. Illic Valignani in Iaponiam profecti autographa monita cum legisset, exterritus est mole negotij ardui quam solus versare iubebatur, sed confirmauit titubantem, & profectus est singularibus præsidis Deus, ne crebris per triennium, & trimestres, desperandæ rei occasionibus succumberet.

Monebatur à Valignano vt linguam Sinensem tum vulgari, tum Mandarinæ dialecto, cum characteribus apprime condisceret. Dehinc vt se totum ad Sinarum morem, & specimen, ad cultum, & vrbaniates paulatim fingeret, quod non erat adeo operosum; sed de lingua & characteribus, passim labor inanis iactabatur, nec à tam longinquis initiis exitum vnquam habiturus; & percontabantur alij per iocum ecquid in hanc lucem iam venissent Sineses illi fortunati quos esset Ruggerius suis concionibus ad Christum perducturus? sustentabat eundem nihi-

88.

Ruggerius  
Sinæ ingres-  
sus, sui sper-  
tum præbet.

lominus, erigebátque inter molestias suscepti operis sanctus senex P e-  
trus Gomesius; sed distrahebant in alia ministeria qui nostris Macai  
prærant, flocci habita ratione illius studij, cuius nullum unquam fo-  
re fructum rebantur: quod ubi rescivit Valignanus, nostris mandavit  
è Iaponia ut esset immunis ab omni prorsus alia occupatione quantum-  
vis vtili, ac ne parum consultè pergerent dicere præstantis operæ ho-  
minem curis linguarum inutilibus distineri, duos quoque illo clariore  
ad eandem euocauit Matthæum Riccium, & Franciscum Pasium, de  
quibus quamprimum occurreret dicere.

89  
Riccus &  
Pafius in Si-  
nas vocan-  
tur.

Cæterum exibat Ruggerio strigosi laboris alter annus, iamque  
Deo viri obedientis ingenium acunte lecta vocum Sinensium ali-  
quot millia, & probè didicerat, & characteribus totidem scienter de-  
scribebat; quare mox Christiana mysteria & præcepta breui scripto  
vulgauit, magna sui apud Literatos fama, & Fidei bono. Illum quin  
etiam Præfecti Sinenses Lusitanis Quanceum quotannis semel aut ite-  
rum traiecientibus ad mercium diribitionem non sinebant modo sed vo-  
lebant omnino adesse comitem, quod modestiores, & fidiiores, Patrum  
præsentia experirentur Lusitanos, quæ trimestres moræ, incommoda-  
bant Ruggerij studiis non parum, sed mirificè conferebant ad obtinen-  
dam in Sinis fixam sedem, quæ dum negaretur frustra parè Foret is  
linguæ apparatus: ac Prima quidem Macao Quanceum illius profectio  
quæ in seculi annum 80. incidit tristi ore, indignatorum Magistratum,  
& populi exceptu, grauiter illum conturbauit. Egregio iuueni persua-  
serat è nostris qui eum ad fidem conuerterat, ut relicta Quanceo patria  
Macaum aufugeret; quod sanè improuidum, & malè sanum consilium  
secutæ mox pro tribunalibus Bonziorum querelæ; Magistratum iræ,  
retractio iuuenis fugitiui, & dura verbera, ingens Caineri Episcopi  
discrimen, & de Patrum mente infida quàm falsus rumor tam latè dif-  
fusus; subuerti nimirum ab iis Sinenses, & Lusitanis in seruos abduci.  
Gnarus itaque Ruggerius se mille oculis obseruari, solerter omnia vi-  
tare, quæ suspitionis umbram Sinensibus facerent; & sui quidem ea  
indicia prodere, quæ conceptum errorem iis abstergerent; Sociorum  
verò ubicumque se daret occasio sincera studia, & simplicem animum  
tueri; familiari demum comique frequentatione Sinenses aded mulcere,  
ut illum mutuo, & honorificè viderent, interque hos summus armo-  
rum Præfectus, quodque mirabilius, & maius, ipse Aitans, Externor-  
um, & Præfes & Iudex, apud quem Ruggerij virtus, & sapientia tan-  
ti fuit, ut cum nobiles Lusitanos & in genua prouolutos, & in assi-  
duas proclinationes, & procul audiret; solum sibi ad latus Ruggerium  
iuberet in pedes consistere, ac dum ij sub noctem cogerentur, suas se  
se in naues recipere, Ruggerium in vrbe retineret, assignaretque illi  
palatium quo tributarij ad Regem legati consueuerant excipi; sacellum  
statim in eo dedicauit in quo Lusitani sacra, & dies obibant festos.  
Confluebant ad eum deinceps liberè, omnis ordinis Literati, explora-  
turi

turi cuiusmodi essent Europæa ingenia, & num aliquid nosse possent, quod ipsos hæcenus latuisset. Lacescebant igitur gaudentem sexcentis de natura, de moribus, de religione etiam, quæsitis; suspiciebantque, lingua sibi omnino peregrina, etsi non ita facile, nec sine parato ad latas interpretare dicentem, cumque linguæ illius quæ Literatorum est propria laboriosissimam disciplinam ab homine orbis alterius interpretarentur motu non alio initam, quàm singulari erga se benevolentia & existimatione Sinensis doctrinæ eximia, miris modis ad eum afficiebantur; ad hæc eorum quæ nisi ab eo nunquam audierant maiestas, & dignitas, ita illos cepit, ut magni Magistri nomine illum insignirent. Fuitque hæc sementis prima, non frustra, nec in arenis facta cuius messim post paulum spectabimus. Egit suas quoque in ea partes, pietas Lusitana, nam simulachrorum Sacerdotes apud Literatos, cæno viliores, apud populum nihili cum fiant; pernecessarium videbatur longè aliam mentem de Præceptoribus, & Sacerdotibus legis Christianæ Sinis imprimere. Ergo Lusitani qui Quancei tunc erant in trimestri sua statione, lecto die solenni prodeunt, pretiosis vestibus, auro & gemmis tecti: Ruggerium gestatorio sublatum, in planum summæ puppis ferunt, & cella in sede statuunt, circum chlamydes suas insternunt purpureas longèque in genua prostrati, omnes illi exhibent honores supremæ venerationis, quibus solent Sinenses, summos prosequi Mandarinos. Hinc sublimior apud Sinas Ruggerij existimatio; hinc nullum postea Lusitanis forum nisi præsentem Ruggerio, ut cui tantum ab iis deferri crederent Sinenses, ne quid coram auderent immodestum aut falsum; hinc post illas trimestres nudinas, Quanceo multi Macaum venerunt, ut ab eo audita plenius regustarent, inter quos viginti, Christianitatis numerosæ primitiæ nobiles, Christum sacro Baptismo professi sunt, ultroque, sui iuris cum essent & liberi remanere Macai voluerunt. sub hæc Italus quidam, mercatorne an miles incertum, post quidem è S. Francisci Ordine, ducatos Ruggerio donauit trecentos, quibus ab templi nostri tergo ædificauit domunculam, vbi ad sacrum fontem Cathecumeni pararentur quam propterea à S. Martino appellauit; Eos illic instruebat ex seminarij regula, & Magisterio mutuo dum linguam docebat Lusitanam, Sinensem ex iis addiscebat. Redeunte verò altera Quanceum anni proximi navigatione ad commercium trimestre, comitatus est Lusitanos, & liberalius etiam ab Aitao habitus quam priori, huic enim solitum incolli Siani Legatis palatium habitandum dedit, & idoli fanum quod in sacram ædiculam verteret, diruto itaque simulachro, Regina Angelorum præclaram statuam in deiectionem locam reposuit, & in magnifico locauit altari; nec defuere qui carperent, tantum homini extraneo licere, est enim ciuitas Quanceum externis peculiariter infensa, sed postquam Aitaus officiosè Patrem visit; & factum probauit & ornatum sacelli splendidum laudauit; omnis illa tumultuantium indignatio metu priuato



nato extincta concidit. Delectabatur Airaus nostris ritibus vehementer spectabatque illos tam cupidè, & crebro, vt eum familiares admonerent, cauendum in aula ne qua cum externis communicare consilia fingeretur: dæmones etiam Ruggerij conclauæ trinoctij strepitu, & quasi ruentium ædium fragore vexantes, adhibitis Ecclesiæ precibus abegit Ruggerius Martij 9. anni 1582. ex Iaponia redux Valignanus, cum Legatis ad summum Pontificem quatuor, ab Rege Bungi, & Omuræ dinaulta; operiebatur Macai ventos annuos Malacam; cruciabatque se interim curis & desiderijs inferendi secum vt cæperat in Sinas crucifixi; cernebatur haud rarò Sinas longè de fenestra prospectans, & audiebatur interdum succlamans. O silex indomita quamdiu tuæ salutis obstabis pertinax? quamdiu oppones rebellem animum, & impentrabiles aditus Regi tuo Christo, quem tot pridem à te seculis excludis; quod ipse lacrimis pluribus quàm verbis deplorabat; & ne illic hæteret in salute Sinarum otiosus sodalitatem illorum Iesu nomine instituit, in quam adscribi voluit neminem præter Sinensia Lusitanorum mancipia, vt in seruitutis infelicitate felicem nacti, salutaris Baptismi sortem, pro conditione fidei nouæ ac teneræ erudirentur seorsum conuenientius in omni officio pietatis. Ad hoc illos scripta formatos regula, tradidit Christianorum Patri quod munus & nomen inter nostros vbicumque per Indiam versatur Societas, nemini creditur nisi virtutis multum industriæ atque animosæ, cuique Apostolicis in functionibus perspectæ. Conuersioni præsumt infidelium, & conuerforum institutioni; operariorum dispensant labores; catechumenos congregant ad solennia Baptismi; eorum animis, atque corporibus necessaria procurant, & iis vbique se Patres exhibent, quærendoque iis subsidio nec nostris superioribus, nec Lusitanorum Præfectis, parè ac timidè vtuntur, imò nec Principibus Ethnicis, & Ministris quorum ideirò beneuolentiam, omni modestiæ, & vrbانيتatis officio sibi conciliant, eamque subinde muneribus emunt. Fungebatur hoc ministerio Valignanus, cum applicuere ex India quos euocauerat ex India Riccius & Pafius, moxque in eandem cum Ruggerio. Sinensis linguæ disciplinam se toti immerferunt, vt patefacto, si Deus annueret, in Sinas aditu præsto essent ad opus. Verum proximo Decembri adest à Prorege Cantonensis Prouinciæ Minister Sciaochino missus cum mandatis, ex quibus etsi magis timeretur Lusitanorum eiectione ex insula Macao, quàm nostrorum in Sinas speraretur ingressus, Dei tamen benignitas in contrarium illa vertit. Est Cantonensis Prouincia lubricæ admodum sollicitæque custodia; vt quæ sit ad mare versus oppositas, defertatque insulas, & gentes extraneas distenta, quarum armis potest procliuem ingressum pandere, Pechini aulæ à qua plurimum distat Regibusque suspecta; fidei verò per se ancipitis, maximè quæ montes, & maritima incoluntur, grassatoribus referta, vicina prædari solitis, pro-  
nisque in partes discedere, partésque & patriam, aut lucro, aut pre-  
tio

90.

Canton. Prouinc. suspi-  
caciss. in ex-  
ternos.

tio prodere. Quare Tutano seu Proregi semper committitur fidelitatis diu notissima, qui præ Collegis Proregibus, regia armatur potestate, neque ut ij, Prouinciæ suæ urbem primariam pro sede habet, sed Sciaochinum Prouinciæ Quansia ab occasu iunctam, ex qua Prouincia licet illi summo imperio facere & educere militem quoties occasio tulerit.

Venit ergo huc ab aula Prorex anno 82. nomine Cinsuus, natus in Prouincia Fochiensi, sagacissimæ homo naris, & si quis alius solers pecuniæ & abstinentiæ venator. Fingit hic statim Lusitanos exterminare se Macao decreuisse, quod externos cõ inducerent, & tribunal iudicum illic usurparent, citat ad se per nuntios Carnerum Episcopum, & Præfectum, utroque de capite responsuros; itum super eo in consilium à prudentissimis; abhorruere omnes à permittendis barbaro, viris insignibus, quos si ferret vesanus impetus, possit coram immaniter cedere, cum sempiterna ignominia gentis vniuersæ; negauere tamen obstandum præfractius ne minas, in facta homo impotens verteret: de publico igitur consensu, Præfecti vice, urbis Cognitor mittitur, instructu magnifico ornatus; pro Episcopo sene decrepito. P. Michaël Ruggerius, Pasio comite; præmuniuntur defensionibus solidis, sed nulla solidior ad vincendam causam, quàm rarum illic & præclarum munus holosericum elegans, undulata item ex serico, cilicia; & grande speculum ex nitidissima chrystallo, numerorum bis mille pretio omnia. Sedebat suo in throno Prorex, maiestate plusquam imperatoria personatus: adstabant hinc inde trecenti, qui stricto repente acinace, omnes in Ruggerium inuadunt velut ex vero rem confecturi. At is ad ea terricula intrepidus, magnam tanti animi admirationem Proregi præbuit, quàm deinde laudauit cum se fateretur haudquaquam ad necem, sed ad potentiæ ostentum eam fabulam adornasse. In defensionem verò, Lusitani priusquam inciperent dicere, conspectus numerum integrè perorauit. Lusitani, ait, boni, & fideles amici in Macao securi permanento, suis ut antehac legibus, & iure viuant, & Mandarinis morem gerant; de oblatiis verò muneribus secutus dicere, ne faxit cœlum, ait, hinc sicum admittam; sed emam libenter communi pretio, ne reiectione mea inurbana, clarorum hominum beneuolentiam offendam. Cum his, iubet libellam proferri, totidemque argenti purissimi abscissas ex lamina plagulas iis appendi, quot erant necessariae ad conficiendam summam bis mille aureorum; addit de suo ad grati animi speciem munuscula, tam delicata spretæ pecuniæ simulatione, ut suos etiam nedum externos incantaret. Hinc ratus sibi Ruggerius dari articulum quo commodior non posset, flectendæ in suum negotium Proregis gratiæ, admodum reuerenter illi exposuit, se professione Literatum, postremo ex orbe per quicquid est terra marique metuendum, & terribile venisse, ut Sinas viseret, eorum sapientia feueretur, & communicaret cum iis vicissim, si quid inde fortassis non contemnendum attulisset. At heu! cui bono milliarium octode-

cim millium incredibilibus ærumnis Sinarum fines salutasse, si excluderetur eorum aditu, idque suo non alio scelere, quam communi nœuo peregrinitatis, qui licet prudenter suspectis quibusvis Sinarum fores occluderet, sed homini fido, & simplici qui Sinarum studio, & amori postposuisset patriam, & vitam, dari vitio, & damno non debere; nec urbanitatem, & grati animi vicem quandam ab iis negari apud quos maximè inter alia virtutum decora eminebat. Rogare itaque inhmis precibus, daretur sibi, suis illic in studiis pergere, vt Sinarum ditatus scientia, iis quoque non esset inutilis. Placuit Proregi Ruggerius, & dignum censuit fuisse qui Sina nasceretur; spem voti fecit, sed opportuniùs potiundi, tactaque humaniter barba (quam priuilegio naturæ in Europæis, Sinæ denlam mirantur, & inuident) abeuntem iussit per mediam urbem, à Mandarinis, & armorum præfectis præcinentibus tibiis ad nauim deduci: eò deuenerat cum ei in aurem Proregi familiaris secreto insurrat, optate illum iis quos acceperat nummis, coëmi sibi pannos prioribus quoad posset confimiles, & ad se referri. Sed subita morbi vis Ruggerium compulit, vt significaret per Collegam suum cognitorem, sibi esse in manibus horariam machinam, articulatis intus nexibus, velut spontè naturæ se perpetuo versantem; suis horas singulas spatiis; sono spatia singula distinguentem; opus ingenij & artis apud Sinas inuisum; hoc se ad eum obsequij sui tenue monumentum, cum primum remitteret morbus perlaturum, si prius non grauaretur innuere sibi hoc non ingratum fore. Conualescit breui Ruggerius, reditque festinus Cognitor cum diplomate Proregis, rotati horologij, ardore vehementer incensi. Reuchitur Sciaochinum treme regi, cum Pasio Ruggerius, horologium ferens, cogitaturque absente Prorege cum Scriba illius agere, immiti, & fero, qui damnato duorum aduentu, quod accerferetur solum vnus, & interpellatis quas edebant rationibus, negat sedem in regno posse extraneis concedi, mandâtque Nauarcho sine mora, nauigium expediat, ad reportandos Maccaum duos illos qui modo applicuerant peregrinos: sed longè opinione sua & barbarie falsus vidit mox à reuerso Prorege incredibili comitate & beneuolentia excipi; horariæ autem, quam ei Ruggerius obtulit, aspectum machinæ, curiosum, & attentum in eam vndique cum stupore circumferri, futuro vtrique maiori, si consouissent Europæ horæ Sinenisibus; obtulit etiam cum horologio vitrum triangulum coloris multiplicis accensa luce, oculis incundè illudens eosque prope modum vtrebatur incantans eum neque de rebus inspectis, nec de purissima vitri, pellucidi limpiditate orientur. Torus ergo gaudens, & grato erga Ruggeriam affectu gestiens; quærit ex eo fatin' benè, fatin' commodè habitarent? cui aptè Ruggerius, valdè malè, quia nimium benè: nempè in palatio vicino, templi Tenniu, frequentia strepera infesto, quâ nihil posset hominibus venire molestiùs, vitam in veri Dei cultu precando, & studendo exigere solitis. Fore sibi ruguriolum ali-

quod

91.  
Proregis  
gratiam Ru-  
geri, donis  
captat vt in  
Sinismaneat.

quod gratius à tumultu semorum, sibi que propriè additum: æquam peti respondit, nam magnum quid esse Dei cultum, de commoratione inter Sinas cui Ruggerius instabat, idcirco etiam annuit quod contestarentur clientes se Regi mancipare, eamque clientelam Sinensi habitu profiteri. Volo potius subdit senex, vos cultu incedere, qui Pechini tantum in usu est, honorifico præ cæteris, & graui: hæc urbanitate promissorum lætos ab se dimisit, nec ei aut serò aut malignè respondit; suo enim illo cum amanuensi collocutus, domum iis indulfit, & quantum orizæ ad victum sufficeret. Adornato illuc ut licuit quamprimum sacello, nostri Deiparæ signum statuunt in altari, quam secum Quanceo Scioachinum portauerant, eius quod mouebant magni negotij auspiciem, & potentem. Erat Ruggerius Sinicè haud paulo doctior, & expeditior Pafio; sed excellenti prudentia Pafius; tunc potissimum necessaria, cum mille oculis figerentur, & simulatione officij ab Literatis adirentur, explorarenturque ad intimos sensus, nedum ad speciem externam; introspecti verò diligenter, eodem ab iis honore afficiebantur quo superiores Mandarinum, Protex ipse pergebat iis esse beneuolus, ut etiam primo Sinensis anni & Lunæ die maximè solenni eos inuiseret cum Literatorum, & optimatum flore, sacellumque imprimis vellet inspicere, ubi edoctus Dei matrem illa statua exprimi quæ eminebat in altari, flexu corporis humili pronus illam cum suis salutauit. Hinc eò sensim res iam ibant, ut aduenarum vox non odio sed amoris esse inciperet, si nancisceretur semper homines scientia, vitæ probitate, & prudentia iis non imparès: ex quo factum ut nouo diplomate P. Matthæus Riccius in Sinas admitteretur duobus iis socius.]

Sed enim erat molestiis diuturnioribus eorum lentanda & exercenda patientia, vix ad Riccium Macai diploma venerat cum auditur adesse ab aula inspector, qui ferret Proregi successorem, eundemque illi vehementer infensum. Causa eius biennio citiùs amouendi, quam legitimum expleisset tempus cruda seueritas, qua sat leuiter reos Literatos ita cæciderat, ut eorum vnus sub carnificis manu animam efflaret. Senex ergo ætate vsuque prouidus ne noua criminatione ob donatos regno extrarios grauiùs damnaretur, per fidum hominem Patres moueret, Schiaochino quamprimum tacitè Quanceum transeant, Prouinciæ eiusdem metropolim, dat vna iis ad Aitaum diploma quo iubebatur iis metiri solum, ad ædificandam cum domo ædem sacram. Sed procul tunc Aitaus aberat; & cassi Proregis, tam cassum fuit apud præfidiarios diploma, ut ne in littus quidem passi sint Patres exscendere. Sic mensium quinque redactus in nihilum labor, & credens Pafius se frustra deinceps illic esse, Iaponiam petiit, ut à Valignano illi fuerat demandatum. Exin quæ nostris accidere, priusquam pedem Nanchini firmarent, esto sint per se exilia, sed rerum semina in Dei gloriam & Sinarum salutem maximarum; ex quibus operatiorum discat

91.  
Coguntur  
PP Sinas de-  
ferere.

sagacitas, arcta, & aspera, & perplexissima initia expedire se atque aperire, contra spem, Deo Duce, in latos gloriosos, latosque exitus; discat cum fiducia in cœpto constanter durare, tenui licet atque difficili, sed ituro sensim in planiora, & amœniora.

Reperendum quod enarrauimus à nouis Proregibus Præcessorum acta, etiam minima retractati ut norint quæ adhuc pendeant, curve sit illorum executio dilata. Eiusmodi fuerat datum Ruggerio diploma, causam eius dilati nouus Prorex ab Aitao querit; hic eius ignarus ex Gubernatore Hianscianensi cui suberat Macaum; Gubernator ex præfectis armorum, & commerciorum Macaensibus Mandarinis, qui norant diploma penes P. Franc. Cabralem esse. Verecundati Mandarinum homulum peregrinum apud se habere, quo posset Proregis decedentis imprudens concessio argui; aut si erat æqua, successoris neglectus in eius executione; nihil non mouent ut eius diploma à Cabrali extorqueant: at is melioribus consiliis obfirmatus respondit nemini diploma, nisi tantum Proregi ab Ruggerio datum iri; fuisse Ruggerio pignus gratiæ concessum; æquum esse ut eius vrgeret impetrationem, in quo si pati repulsam contingeret, statutum se Proregis arbitrio, redditurum ei obsequenter diploma, seseque Macaum recepturum. Mandarinum Cabralem ut sentiunt constanter, & iure in eo proposito obstinatum, Ruggerio, & Riccio vsque Hianscianum, comœtium concedunt, vnde vsque Quanceum Gubernator illum produceret. At hic modis omnibus, sed frustra expertus diploma iis euellere, indignans, retro ait, Macaum redite, & hoc sultis habete, quod ab callo Prorege vobis neque potest prodesse, nec nobis officere. Erant ambo magnanimi pectoris Ruggerius, & Riccius, ausique tant periculo sanguinis, aut perpetui carceris, Gubernatore iniuito Quanceum pertendere. Duplex naulum cum Nauatcho pacti, ostensoque illi Proregis diplomate, sub primam noctem in nauim tubabant, cum vectorum clamore incondito, querelis, minis, & nauatarum terrore extruduntur, eiciuntur in terram eorum sarcinæ, coguntur in angustum succedere mapale afflictæ, & consilij inopes; cum iis repente noua spes oritur. Adest Gubernatori de parentis obitu nuncius ad triennes illius exequias, Magistratu abire compellitur; melius ab illo sperare incipiunt qui esset eius partes obiturus quicumque is foret, & verò melius sub illo, etsi minimè ab illo fuit. Vafertimum iuuenem, quo utebantur interprete ad eum mittunt secreto nummos ei oblaturum, sed excogitauit prouidus sycophanta quo illos sibi nullo suo periculo retineret; scripsit ad Aituum Quanceensem, duos ab se Hiansciani reptos extraneos, cur, aut cuius permissu nescire, captos tamen ab se custodibus creditos à quibus ad eius tribunal sisterentur, ad eum deducti, & supra quam expectauerant comiter accepti, diploma in eius manibus deponunt quo ne explicito quidem, interrogat, ecquid optent quod sit in sua potestate? hic illi paratum libellum porrigunt quo signifi

91.  
Reditum in  
Sinus tentat.

significabant religiosam se vitam sectari, immensis à patria itineribus venisse, ut in regno Sinarum nominatissimo Regis fidei clientes perpetuo degerent, graues nemini fore, sed in promptu habere vnde aliena liberalitate victarent; hoc vnum poscere, sibi de publico tantum vendi quantum ad ponendam illic domum sat esset, statuendamque sacram ædiculam vbi Deo cæli sua obsequia exhiberent. Legebat Aitauis vultu hilari libellum, cum fronte subito mutata, dolere se ait quod negare illorum meritis cogereetur quæ nihilo quàm ipsi ardentius cuperet; se tanti non esse, ut rem attingeret quæ Gubernatoris Prouinciæ spectabat iura; eius esse suo periculo, externos admittere; conuenirent illum suis precibus, sed intelligerent par fore miraculo si ad eas illum inflecterent: quod illi tentare dum parant bona cum Aitai venia in palatium diuertunt Sianensium Legatorum, expectaturi venturos ad Nundinas Lusitanos. Pauca horas vix illic hæserant cum datam gratiam Aitauis reuocat; monet Inspectorem Prouinciæ instare, tantæ aduentu Potestatis, Mandarinos omnes etiam infantes perterrefieri, quantum magis Aitauis, si regni aditum externis dedisse notaretur: quare suo quamprimum & ipsorum bono Macauiam viam maturarent. Et verò fuit quam celerrimè festinandum, cum iam ad portas Hianciani penderet edictum quo Prorox nostros eorumque interpretem haud obscurius petebat quàm si nominatim eos appellasset. Carpebat acerbe admodum atque indignanter Sinarum aliquos Macauiam incolentes, patriæ hostes, bonique publici, qui se Sacerdotibus Europæis mancipassent in Magistros atque interpretes, eosque Sinarum & linguam & characterem docuissent; ausos inde iis de Sacerdotibus aliquos in vrbe primacia, ius domus, & templi, contra regni leges æternas poscere, quibus perinde ab externis quàm ab hostibus cauetur. Quamobrem sceleratæ illi, venali, & infidæ genti interpretum, proditorum indici omnes pœnas (quas atrocissimas enumerabat sigillatim) si quid in posterum consilij aut opis Sacerdotibus illis occidentalibus præstarent, aut effroni eorum audaciæ fauissent, de obtinenda in Sinis habitatione. Hac edictione cubitalibus prostante literis, concidit animus tum Ruggerio & Riccio, tum Macaensibus quibus eam ipsemet retulerunt, post mensis vnus ærumnosum iter, desperatiquè saltem ad triennium fructus; quo Cantonienis Proregis legitimo tempore stultum erat sperare abrogatum iri ab eo decretum quod tanto legum & pœnarum fragore pompæque statuisse, quare ostentam ingens fuit diuinæ in id regnum, Patresque bonitatis, ut annorum triginta contentionibus frustra semper tentatus in illud ingressus, octiduo ferè nunquam minus speratus panderetur. Dies abierant vix septem reuersis Macauiam Patribus, cum adest

92.  
Elicuntur  
iterum edi-  
cto terribili.

93.  
Iterum reuo-  
catur serui  
b. neuoli  
opera.

& gratiarum actione acceptum sit rescriptum, spes profus emortuas suscitans, per se quisque vltro coniciat. Aegrè fidem sinebat oculis haberi eius obtinendi difficultas insuperabilis, magisque de caelo quam ex aula venisse argumentati sunt viri sapientes, quod vilem ad hoc peragendum & debilem manum delegisset Deus. Primus eius rogator idem qui exoratum ad Patres detulit, seruulus miles, è familia depulsi Proregis. Frequens erat is cum Ruggerio Schiaochini, eiusque virtute, & sermonibus de religione mirè captus in cathecumenum euaserat, & Ruggerio maximè addictum, qui vrbe coactus discedere confirmauerat homini, repositurum se larga manu, si quis sibi à nouo Prorege reditum impetrasset. Prorex aduenerat, & fidelis planè sub panno seruili amicus rem audet arduam, plenamque periculi. Sistit se Proregi de genibus, nostrique Interpretis nomine, Sacerdotum duorum in Sinas restitutionem ex eo petit; petitionis libellum supplicem portigit; addit libello gratiam excelsa illorum commendatione, quos vitæ sanctissimæ, admirabilis exempli, & scientiæ præstantis, non timidè laudabat, missos præterea in Sinas à summo Occidentis Patre (sic nominabat Pontificem) ad discendendas eorum litteras & mores, cæterà in regnum perinde affectos, vt si forent in eo nati; hæc, & similia tam effcaciter expressit, vt regni posthabitis legibus, & quibus nuper intonnerat edictis minacibus, seruulo Prorex annueret, & Gubernatorem iuberet libello iuxta postulata rescribere. Rescripti diplomate ad Patres perlato, necessariis dumtaxat ad victum & solum coëmendum quàm celerrimè collectis conscendere properant; ad ea contulit Gaspar Vega, reliquos Lusitanos, varij casus attriuerant: hic re optima erat, & integra, ita nostri amans vt Valignao approbante eodem nobilicium contubernio vteretur, ex quo postea Societati se adiunxit, eique Goæ tyrociniuum fundauit, solitus itaque nostris inter Sinas subsidio esse, nunc vt rei poscebat necessitas in hoc se liberaliùs effudit: adiecit Cabralis, & quidam alij quicquid tunc licuit, cum fausta comprecatione quâ profecuti sunt abeuntes. Septembris initio soluunt Ruggerius, & Riccius, anno 1583. Schiaochini portas die decimo attingunt, statimque ad Gubernatorem honorificè deducuntur, qui vt erat pro tribunali sedens, iussos dicere quid vellent, obseruabat acutis oculis, & sagacitate censoria modestiam, verbâque singula, & motus rogantium quæ homo cordatus adedè suspexit, vt se illos reipsa tales probare responderet, quales sibi descripti fuerant, viros magnos, & eius virtutis cui posset merito, & carens exemplo gratia concedi. Proin locum in vrbe inuenirent, tranquillo quod profitebantur Dei obsequio idoneum, sibi verò se id assumere, vt hunc à Prorege iis impetraret, ad hæc tam prolixè omnia detulit, tam fideliter atque beneuolè præstitit vt si foret maximè Christianus. Vrbes vndecim minores, sed frequentes & pingues Sciaochinensis ager complectitur. Harum Princeps & caput Sciaochinum; huius fortuna infelicitati reliquæ vel beari se credunt.

94.  
Rugger. &  
Riccius re-  
deunt in Si-  
nas.

dunt. Quare paucis hinc retro annis, turrim illi decernunt quales esse permutas in Sinis narrauimus, ædificio quidem mirabiles, sed quod ij potissimum somniant urbium amuleta, & fata prosperitatis cumulatiſſimæ sempiterna, quod cœli beneficos sortitæ sint aspectus, & puncto fundatæ temporis quod beatitatis æternæ patrimonium secum trahat, ex quo sit vt primum earum lapidem non mittant, nisi mille obseruationibus, momentum illud ominatiſſimum se nactos confidant: constructur Sciachino turris, vno extra urbem milliari amœnissimo in campo ex quo & nomen Florida inuenit, in hunc Ruggerius cum duce famulo, latore diplomatis, & amicis venisset, legendum inquirens ædibus statuendis solum, hoc ideo censuit proposito aprius quod esset aliquantulum extra urbem externis inimicissimam, cuius erant de iis errores discutiendi prius exempli luce, quàm in medium populum transiretur. Eius ergo angulum à se postulari gratulanter accepit Gubernator, aiens Turrim suam clariorem fore virotum duorum vicinia, quibus parem Sinæ ex omni retro memoria vidissent neminem; concursuros procul maiori numero excitos operis magnificentia populos, & splendore virtutis quâ ipsi clarebant, de solo ne essent solliciti, obtenturum se illud à Prorege; quod vbi quamprimum confecisset, misit qui Patres admoneret, ad Turrim postridie vt adessent, se illic pariter, cum Mandarino collega, & turris Præfecto fabricæ adfuturum: sed hi nouo illo extrancorum aspectu auerti animo, & frontem ducere; nec dissimulare accessuros duobus his alios; hanc esse stropham Lusitanis solennem; expressisse illos primum, vt pauci, & in anno semel, & in paucos dies exscenderent, statimque abirent; sensim autem & multos appulisse, & tamdiu hæsisse, stationem tam firmis munitionibus roborasse, vt iam sit tolerabilius illos pati, quàm fortè in cassum eiectos cupere: quibus nihil motus Gubernator, monitis dumtaxat Patribus de reuerentia erga regni leges cuius incolæ tunc siebant; mensus est iis campi partem, domus, & templi sed arctè capacem; quod vbi tacitè interpret innuit; templi? subdit illic Gubernator; minimè verò; templum iis destino centuplo augustius, quàm quod potuerint animo designare, templum significabat ibidem ponendum, in quod sua statua inferretur, vt benemeritis Provinciarum Rectoribus decerni mos est: verum vt illum monuit interpret non coli à nobis simulachra, sed vnum cœli Deum, visus est mirari vehementer, certò enim vir bonus persuasum habebat, nullos orbe toto religiosos reperiri, qui Deos Sinarum non colerent. Pauca tamen duobus cum collegis locutus, Patres fecit delatæ gratiæ securos, daturum se illorum vñibus integrè id templum, facta in eo sua ritusque peragerent, & honores diuinos cui vellent adhiberent: cuius doni expectatione; ne videretur petitionem præsentis eludere, attributo solo alterum tantum addi iussit, quod ædi sacre sufficeret. Hæc dum per otium tractantur, confluit tanta omnis generis turba, peregrinos duos altero ex orbe in Sinas admissosvolentiam cernere

97.  
Datur iis locus ad ædificandum.

98.  
Domum & templum statuunt.



cernere ut Gubernatorem stipati premerent, maximè cum illi vitrum triangulum Patres obtulere, cum effigie Reginae Deiparæ docta manu depictam, cuius elegantiam mirè inspiciebant Mandarini; sed stupebant ad vitrum, velut incantamentum oculorum. At is sibi tam parcus, quàm benignus in Patres, cum ad se vitrumque portari iussisset, ut se ac suos spectando satiare, remisit ad Patres; ne fingerent æmuli venditam iis ab ipso gratiam, quam præclaris eorum meritis, & Proregis mandato tribuisset. Exorato solo, absque mora Patres locare fundamenta, casa interim conducta uti, cuius angustia vix dabant sacro celebrando locum; ipsi duos inter acervos lapidum manere ad turris fabricam conuectos, quæ nonam tantum staturæ partem, hoc est primum lacunar attigerat. Eius speluncæ potius quàm tugurij breuitatem arctabat insuper aduentium multitudo, gemmam illam incomparabilem ( vitro pretium hoc dabant ) & tabellam Deiparæ videre poscentium. Excipiebantur omnes patientissima, & cultissima honorum comitate, ut scirent externis non secus ac sibi vrbauitatis leges cordi esse. Verum haud diu post trigonum vitrum oppigeneratum est aureis viginti, ad absoluendas ædes, quas è loco primum designato, oportuerat aliud transferri. Campum enim illum cum suis Literati, voluptariis cœnis, horris & comœdiis destinassent, nolebant oculos Europæorum solutioris suæ licentiæ arbitros habere, & prætexta priuatæ voluptati, publici boni cura, tumultum ciebat in externos; quem multo labore Ruggerius & modestia humili sedauit: eodem igitur in campo abcesserant Patres ad viam publicam, & fores ædium in eam commodè vertent, pendentæque tunc Turris fabrica, ex paratis in eam lapidibus breui suam ipsi perfecerant, quatuor in plano distinguebatur cubiculis aula intermedia disinctis, quæ vicem sacelli præstaret: nec visum ( ut Riccius optasset ) triplici contignatione illam attollere, ne insuetos Europæ Architectonicæ Sinarum offenderet oculos. Perfecta erat domus cum ad Patres Edictum prolixæ liberalitatis misit optimus Gubernator superliminari affigendum: eo Patrum laudabat dotes eximias, & sanctimoniam; ad hæc illos adibat Proregis mandato illic habitare; demum grauibus pœnis sanciebat, ne quis illos auderet vel contumelia, ve iniuria lædere. Postremò ad eumulum beneficentiæ vltro illos rescripto donauit duplicis sigilli sui auctoritate iuridica bullato; altero domus quam ædificarent, gratuitam aream iis remittebat; facultatem altero largiebarur amplissimam toto regno Sinarum vltro citroque commeandi, & adita quoties luberet Macao, redendi: adibat exinde ad eos frequens modòsque suggereret exquisitæ popularitatis quibus sibi omnium animos, Mandarinorum præcipue deuincirent, ipseque ad hoc Mandarinis de illorum virtute & doctrina mira identidem narrabat.

96.  
Primus fructus magna de externis opitio.

Quamquam ipsi per sese sic à primo affatu, Patrum consuetudine tenebantur, ut late spargerent, eos esse fama omni maiores. Ventitabant

tabant ad eos perpetuo, & ponebat quisque aut discendi, aut experiendi causa de quo agi vellet. Habebant Patres bibliothecam, vt in iis tractibus, locupletem; ex libris constantem, compactis eleganti manu, deauratis, & umblicatis, hinc Sinas putabant pellectum iri saltem ad videndum; sed maius aliquid euenit & conducibilius ad fidem sacrosanctam. Imprimis Literati, qui mortales omnes præter Sinas, nullius ingenij, stolidos, & agrestes fuerant arbitrati, cernendis solum iis libris, non poterant quin certò conicerent, magna quædam, & mira iis contineri, cum tam diuite ornatu vestirentur; dehinc Typographiæ nostræ præcellentem formam nec posse nisi à magnis ingeniis proficisci, nec adhiheri nisi ad nobiles magnasque scientias, cum suam ipsi Librariam & Typographiam præ illa simplicem & rudem, tanto in pretio, & honore haberent. Nostros præterea de Sinarum libris characterum aliquot millia sic iam percillere, vt interprete non egerent ad perplexissimos eorum distinguendos, vel efferendos ductus; imo & accinendos, & nativo casu temperandos, quod erat longo vsu, non ratione, & scientia quærendum. Quod autem ij præter patrias, etiam Sineses tanto ambitu discerent literas, vt nulla eos difficultas, & nouitas ab iis auerteret, hinc planè confici, educari iuuenes magni Occidentis in ardentissimo affectu literarum, & scientiarum laudem esse illic potissimam. Quæ vox Sinensium ex ore nunquam expectata, tunc primum extorta est; Europæ nimirum sapientes, non cæteris modo nationibus, verum & Sinensibus præstare. Post hæc verò (quod erat præ omnibus optandum) collatis Patribus cum fœce sacrilega vili & indocta Bonziorum, Oscianorum, & Tasiatorum, argumentabantur haud sanè leuiter si Sacerdotes Occidentis, & illic in rebus animi ac diuinis Magistri, tam sublimi sunt ingenio præditi, studiis incumbunt tam acriter, tam multa norunt; tanta morum sanctitate vitam ducunt, profecto necesse est Religionem quâ viuunt Occidens, solidè fundatam consistere, & quæ sentit de Deo, & æternis de rebus, veritate firmari argumentis quibusvis ineluctabili: notitia certè vsuque virtutum, quæ statum ciuilem morèsq; perficiunt, quanto nobis superiores sint testatur eorum viuendi ratio. Hæc illi, quæ Patribus spe boni maioris iucundè adblandiebantur quod paulò post referam; sed hic interpungenda sunt epistolâ Riccij ex qua percipiatur clariùs, hæc Mandarinorum & populi studia quo pacto in contrarium versa sint. [Versamur, ait in Italiam scribens, Sciaochini, quinque dierum itinere intra Sinas, vbi præter ignotos comparat nemo. Non Italus, neque Lusitanus, sed ne Indus quidem, ludus huic genti, & spectaculum sumus quæ peregrinos nunquam vidit; cum per alias vrbes incedimus, festinandus est gradus celeriter, ne densata mox plebe ad videndum præcludatur nobis vicorum transitus, & scito ex veris, non augendi gratia me loqui, mille nobis affingunt nomina, vtitatissimum quod dæmones extrarios sonat. Magnopetè tamen nos

obseruat reuereturque nobilitas; & mira comitate, nostras aedes, & templum frequentat.] Neque verò trahebat ad spectandum nouitas habitus peregrini, Sinesem enim induerant, qui magnam habet in modesto quouis & composito viro grauitatem; quæ velut publica patriæ Sinesis, & clientelæ professio, & Europæorum transformatio in Sinas, dici non potest viris prudentibus quantoperè arrideret. Sed vultus diuersi longè dissimilis species, & promissæ barbæ inuisa densitas, manifestè prodebant peregrinos; nam quoad ritus, & vrbانيتates erga Literatos, nihil non meditatio, & scrupulosè peragebant.

97.  
Prima Dei  
notitia Lite-  
ratis impres-  
sa.

Legitima ergo exceptos veneratione in templum inducebant, cum iis altari, & Matris Virginis tabulæ, fronte humum procliuēs tangebant; nec erat ambage callida inferendus ad propositum sermo, rogabant illic Literati, quæ matrona? quis infans in eius brachiis? quos summis prosequeretur honoribus: ad hæc nostri inter se prius egregiè parati; quod anteuerti omnibus oportebat, Deum esse insinuabant Literatis vt qui de hoc censerent velut inuentu insuperabile, non quærendum; vel Deum esse vllum auderent etiam negare. Quare nostri probationibus Deum adstruere de instinctu petitis humanæ rationis, quam ferè Sinæ Magistratam sequuntur; inde stultum esse, aut multos ponere; aut vnum in partes scindere vt ab sectis duabus scindebatur adorantibus simulachra; post, in alia paulatim descendere; prudenti sanè consilio, ad conuincendos Veri Literatos, quod ipsa per sese Philosophando non modo approbat natura, sed ex cognatis quoque sibi principiis persentit, cum; id sibi ratiocinando elucidauerit, gratulatur sibi quasi ab se inuentum, alioqui superba Sinarum ingenia nunquam externorum quos oderant in disciplinam se dedissent, nisi certo edocti, rationem iure sibi æquali ac nobis, à natura tributam, excoluisse nos diligentius, & ad inuestiganda, perspicendaque diuina sublimius extulisse. Sic dum sibi audirent recitari à nobis Decalogum, gestire latitiam, quod Philosophiam morum omnem ea clausam medulla cernerent; sed obtupesce-  
re tot suos sapientes, tanto voluminum numero & mole, vix partem Decalogi assecutos; poscere itaque certatim illius, ect, pa, spondere illius obseruationem; famam eius & exemplaria toto regno suis ad amicos literis vulgare, & de sanctis duobus illius Magistris ex magno Occidente Sciaochinum aduictis. Hæc scribit Riccius [ceptum vocari Deum nomine Tienciù, hoc est dominum cæli, viguisseque iam, cum hoc scriberet, eam vocem per annos quatuor & viginti, & in Typis, & scriptis, communique vsu intelligentem, & benè acceptam] Deef-  
figie autem Deiparæ longè secus euenit, serpebat inter ignaros rumor, pro Deo feminam ab Europæis adorari; necdum nostris fas erat ad populum dicere, & de Virgine Matre, & quem brachiis fouebat puero Iesu errantem dedocere; quare loco illius tabulam Saluatoris, Patres in altari sufficiunt, de quo Mandarinum cum iam aliqua percepissent, mittebant odores ante illud altare cremandos, & aptandis lucernis oleum,

oleum, & stipis etiam aliquid ad leuandam nostrorum paupertatem, quod tunc sponte oblatum non poterat sine mittentium offensione recusari. Ceterum quamuis magna penuria quotidiani quoque victus laborarent, nunquam inducere animum ad petendum, quod in promptu iis erat obtinere, & annum scilicet redditum qui consueuerat deifico regio suggeri ad sumptus sacrorum ædificiorum; primo ne veti Dei templum in eundem cum templis dæmonum ordinem redigi videretur; post ne pariter ius idem in illud caperent Mandarini, quod solent in alia quibus tanquam ad Regem spectantibus necessaria suppeditant; postremo ne ab Sinis aliud ambire præter animas fingerentur. Cuius sapientissimæ cautionis hic fuit euentus, vt Patres liberè qui vellent hora qualibet adirent, securi nunquam se obolo, quam fortè dabant molestiam empturos, cum è contrariò Bonzios cernerent alieno semper inhiare; de suo nihil, quodd essent imperitissimi, largiri; mutuas quidem interdum pecunias sed dato pignore, nostri sumere maluerunt, quam quicquam ab vlllo petere, quamuis facillè concedendum; vbi defuit pignus, templi fabricam omisere, detraxere suum familiolæ numerum qui seruo, interprete; vno aut altero characterum Sinensium Magistro clauderetur; coactusque est Ruggerius excurrere Macaum, vt inde subsidij aliquid ex Lusitanorū pia semper liberalitate reportaret. Inter hæc illa Decalogi quam dixi editio, Christianæ legis tam gratum Literatis experimentum dedit, vt amplius aliquid, & explicatiùs flagitarent, quo cum æquè cordi Patribus nihil esset, librum in lucem publicam misere, quadrienne opus ingenti labore, & anxia singularum vocum sollicitudine ab Ruggerio sudatum, ne quid per aliquod Sinensis linguæ ambiguam erroris in illud irreperet. In partem laboris Riccius venerat, totumque deinceps adscito secum peritissimo iuvene absoluit; sententiarum tam celso vigore, & masculo, vt perfecti auctoris, non titonis specimen exhiberet. Perspicuitatem operi faciebat, & varietatem dissertatio inter Europæum, & Sinensem, quem is ad noticiam, & amorem summi boni vrgebat argumentis ferè ab natura petitis, quibus sectas omnes Sinarum conuellebat. Exiit in publicum liber cadente Nouembri anno 1584. lateque diditus, & auidè lectus Literatis plurimum satisfecit, Gubernatori præcipuè Sciaochinensi doctrinæ fama celebratissimo, cuius adèd impleuit mentem vt solenni apud Sinas, benè de publico meritis testimonio, Patres ipsemet ornaret, quodd tanti momenti, res tam certas, & doctis etiam plerisque absconditas eruisent in apertam lucem, bonumque populorum, Solent Principes Mandarini, (sed quantò maiores tantò id rarius) grandi characterè in tabula, paucis magnificè completi merita excellentium virorum, suumque iis nomen, Magistratum, annumque adscribere, & appendendam in omnium oculis ad eos tabulam mittere. Duabus huiusmodi tabulis, suoque stylo compositis condecorauit Patres Gubernator. Templum altera spectabat; personas altera, aureis vtraque literis. Prioris sic vertit sententiam Riccius, cum iam lin-

98  
Primus liber  
Sinicè à nostris,  
de fide editus.

guæ Sinensis Magister optimus haberetur; *Templum floris Sanctorum* posterioris; *Gens aduena ex sancta terra Occidentis*. Creuit apud omnes Patrum auctoritas, & laude tam illustri, & prærogatiua, nominèque adscripto laudatoris qui Guan Puon dicebatur, doctrinæ iuxta, & prudentiæ gloria inter primos notus

99.  
Primus ex  
Sinis bapti-  
zatus.

Sub hoc temporis longas nostrorum expectationes consolatus est Deus conuersione miserrimi, & egentissimi Ethnici, sed primigenij huius inter Sinas Christianitatis, cuius hoc læto initio primum hunc librum concludimus. Insanabili diu languens ægrotatione ab suis (vt mos est Sinarum & Iaponiæ barbarus) proiectus fuerat in campum sub dio seminudus vt fame aut morbo vitam absolueret. Ad eum magis accedebat nemo, quàm ad putridum cadauer cuius graueolentiam ne domestici quidem ferre potuerant. Hic Patres fortuitò in illum incidunt, solantur, iuuant, quàm is maximè egebat, & quàm minimè sentiebat, mortem illi vicinam inculcant; interitum animæ, sempiternos ignes; in promptu modum breuem & facilem præsentem miseriam, & periculum imminens æterna felicitate commutandi: quæ adhortatio, caritatis apta funiculis tam validè hominem ad se traxit, vt statueret apud se non posse legem illam non esse veram, & optimam, quæ tantum etiam in externis suis cultoribus amorem inspiraret; falsam è contrariò illam & facinorosam, quæ humanitatis sensum omnem etiam erga ciues, & consanguineos crudelissimè abnegaret. Subductus igitur in commodum locum, & victu, remediis, omni ope curatus, sacroque demum post Christianam institutionem tinctus baptismate, obiit, spem suæ salutis relinquens, quàm optimam. Facto caritatis tam nobili, & ab omni quæstus, & commodi cupiditate casto, maluerit Sinenses fidem detrahere, quàm tantùm virtutis heroicæ ab Europæis addiscere, commenti sunt Patres Occidentis, arcana qua pollent scientia cognouisse, in miseri illius capite latere gemmam inestimabilis pretij, ex draconibus vt aiebant natam, idcirco ab iis receptum benigno obsequio vt ea gemma potirentur; libenter Patres annuere affectatæ illorum cæcitati vt eam sanarent; fateri se gemmam comperisse in ægroti cerebro latentem; gemmam porro hanc omni æstimatione pretiosiore, eius animam esse immortalem, cœlestem, beatitudinis perpetuæ capacem, Regum quorumlibet animæ haudquaquam imparem, qualem & quisque Sciochinensium haberet, cuius ipsi seruandæ gratia, & Deo afferendæ, ac felicitati ab remotissimo Occidente in Sinas nauigassent.

Hæc dum plebeis rumoribus frustra & temerè iactantur crescebat in dies nostrorum inopia, cui vtrumque lenandæ Ruggerius Macaam adire cogitur, profecturo nauigium regium dedit Gubernator, vnâque mandatum curandæ sibi horariæ Machinæ rotatæ; sed illic rem Lusitanorum tot naufragiis afflictam reperit, vt supremum quisque illius exitium timeret, premeretque apud se tacitus si quid pecuniæ haberet residuum. Expectauit ergo volens nolens Ruggerius classem anno

proximo

proximo adfuturam, & cum horologio curando quod sibi mandatum fuerat in cassum pecunias quæssisset, nauigium remisit ad Gubernatorem cum Indo Æthiope, huiusmodi operum docto artifice in Canara nato; simulque honorarium munus ei offerendum, quod utrumque multa cum gratia accepit Gubernator.



LIBER II.



OLVS Sciaochini dum agit Riccius, expertus est varias aduersi, & prosperi vices. Literatorum flos prosequabatur hominem omni benevolentia, & honore; exagitabat populum omni barbarie. Natiuam enim barbariem, nunquam deposuit Cantonienſis Prouincia; Sinis quondam extranea, & ſolum conſinis; iure pridem ciuium donata; nunquam ſatis agreſte ingenium exuta; externis verò tanto præ aliis Prouinciis inſenſa, quanto iis propior, nec eam mitigant quos ducit ex commercio Micaenſi quæſtus, vt quò ſoli ferè pingueſcant Mandarini, caritatem annonæ plebs inde patiat. Accedit perpetuus ab Luſitanorum incremento metus, & ſuſpicio pertinax, velut ab hoſtibus in propinquo ſitis; hinc acerba in Patres popelli odia, quæ mendaciſſimus de ſuperba illa turri exalperauit rumor, ſpangebatur querelis minimè obſcuris, noſtrorum qui prope habitabant ædificari ſumptu, turris non iam vt antea Florida, ſed Externorum cognominabatur; indignabatur ciuitas cum ſubiectis ſibi vndecim urbibus, ciuium ſuorum contributione perfecti operis, gloriam omnem gratuito externis hominibus ceſſuram. Hos ergo Protegis, & Gubernatori nota gratia ſeptos, non auſi de medio tollere, condicunt inter ſe tam dira, & improba vexatione aſſictare vt compellerentur voluntario diſceſſu illam redimere, inſultant contumelioſis clamoribus, vluatu, lapidatione fenestrarum, & rectorum aſſidua, cui cum etiam pueri manus commodarent, eorum vnum ſamulus intra fores pertractum, territat quaſi iudici traditurus, aſſunt breui poſt viri quidam honeſti quibus illum vrbane humaniterque repoſcentibus, pari comitate ſtatim eſt rediſtus: hanc veri puram, & inſontem aream, ſceleſti ex vicinia ſycophantæ duo, putarunt idoneam cui accuſationem ædificarent periuram, & atrocem, quæ in Riccij ſaltem deportationem deſineret. Fraudem concinnant, agnatum pueri vaſtrum, & falſis aſſuetum delationibus accuſatorem inducunt, & ad illinendam accuſationi pietatem, pueri fratrem illum eſſe aſſerunt; ipſi ſibi aſſumpta teſtium perſona promittunt ſe pro teſtimonio dicturos. Accuſatoris præmium ſi cauſam vinceret, exilium Riccij, reſti-

1.  
Canton. Prouinc  
barbara, externis  
inſenſiſſima,

1.  
Calumnia in  
P. Riccium.